




39.

1177.

PHILOSOPHIAE
H E R M E S I I
BONNENSIS

NOVARUM RERUM IN THEOLOGIA EXORDII

EXPLICATIO ET EXISTIMATIO.

S C R I P S I T

CHR. GUIL. NIEDNER

PHILOS. ET THEOL. DOCT. ET IN UNIVERS. LITERAR. LIPSIENSI PROF. ORD.



LIPSIAE

SUMTIBUS I. C. HINRICHSII.

1 8 3 9.

Ad catholicos potissimum in quaestionis propositae introitu dicere, consentaneum est. Religionem huic aetati non esse videbam, quo minus hermesianam rem loco haberet exiguo ac paene nullo. Mihi vero videbatur ea esse vel rei istius natura vel aetatis istius conditio, ut illa ad hanc quam maxime pertineret. Exstitit his nostris temporibus inter christianos eiusmodi genus dissensionum, quod longe superaverit vi et pondere illud, ex quo manaverunt vel dissidia publice sancita in ecclesiis vel contentiones inter privatos homines commotae in philosophorum scholis. Illud quod hanc nostram aetatem affecit malum dico. Prodiit enim ac crescit numerus eorum quorundam, quibus ne esse quidem magnopere placuit, quare dissideamus. — Hermesius contra hos surrexit: arbitratus, communem omnium causam agi; secutus veterum morem, quibus hoc unum curare placuisset, ut recte dissiderent. Atque etiam intellexerat, quo sustineret hanc aetatem itaque valere posset ad hanc aetatem theologia catholicorum, non esse praeteritorum temporum rationem in scribendo repetendam; oportere non solum enucleate dicendo singulos dissensionum locos tractari, sed primo omnium universam rationem de fundamentis theologicorum existimandi cum hu-

ius aetatis eruditione temperari. — Quoniam igitur ille tum de argumenti dissidiorum dignitate graviter sensit, tum de ratione probandi catholicam causam huic aetati scite existimavit: duabus his de causis non consentaneum duco, ut evangelici alienam a se rem apud alienos agi et geri opinentur. Ab revolutione rerum reformatio rerum maxime in hoc differt, quod, qui hanc vel moliuntur vel perficiunt, inprimis ideo quoniam ipsi sunt antiquioribus hominibus meliores, res meliores novas antiquis successuras promittunt. Quod si ita est, Hermesium propter rem in se susceptam par est censeri ab evangelicis non infimo in loco habendum, a catholicis reprobandum. Illi enim commento, quod in theologicis quoque atque adeo in dogmaticis romanos catholicos et nescio quos alios catholicos invicem discerni posse placuit, refragatur ipsum Tridentinum. Novas res theologicas inter suos molitum fuisse Hermesium, hoc quidem non habui ego cur monstrarem. Prodiderant hoc libri ab eo editi; prodiderat ea, quae horum fuit, fortuna. — Modus autem, quo Hermesius rem bene susceptam tractavit, non minus prope quam consilium, quo inductus fuit ad eam suscipiendam, ad hoc pertinet, quod agitur nostrâ aetate; quanquam totum improbandum illum censui. Arbitrabar enim, logicae necessitatis intellectae fucum et factitium colorem vel ab eâ, quae christianae theologiae esset, indole et naturâ vel ab eâ, quam philosophia ferret, prudentiâ et modestiâ alienum esse.

Ostendisse mihi videor, quanquam hoc modeste dictum existimari velim, neque Hermesianos habere, quo ut novae sic certioris ac rectioris theologiae exordium a magistro suo factum esse confidant; neque adversarios, cur eandem in hoc exordii loco constitutam ingenti illo aut metu aut odio persequantur. Nescio an prudentius, quam ille logicam theologiam, Dannhawerus quondam [1679] „librum conscientiae apertum s. theologiam conscientiariam" ediderit. Illo logico philosophandi modo illa catholicae theologiae reformatio ad eum exitum perduci non potest, ad quem perducta illa non solum ecclesiae irarum vim sustineat, verum etiam cuique modestius philosophandi rationi probetur, atque adeo institutionis a Christo acceptae indelebilem characterem referat et quasi repetat. Dico illam, in qua huius religionis infinita potestas consistit, ethicae hominum naturae imitationem, quae, aliâ arte nullâ interpositâ, ad vitam cunctorum hominum valere humanitatemque fingere potest. — Velim haec et ab Hermesianis et ab adversariis horum eo animo accipi, ut sentiant, me in scribendo de hermesianâ causâ illud praecipue fuisse sectatum, quod cunctis nobis argueret communem quandam causam communi studio agendam superesse. Meminerimus invicem eius, quod apud Pascal, immortalis memoriae virum, est: Nous avons une impuissance à prouver invincible à tout le dogmatisme; mais nous avons une idée de la vérité invincible à tout le pyrrhonisme.

Modum rem tractandi eum secutus sum, qui posset dici naturae argumenti quaestionis imitatio. Explicationem et aestimationem hermesianorum plerumque a se invicem disiunxi, atque hanc disiunctionem significavi. Adversus Hermesium ita oportuit dici, ut per inductionem, quemadmodum loquuntur, fieret singulorum praeceptorum cognitio. Ex Hermesianorum libris consulto nihil afferendum esse putabam; ne quid forte rei ab auctore rei initae aut integritatem aut perspicuitatem impediret. De theologicâ ac catholicâ huius causae naturâ alii scripserunt. Mihi cum philosopho Hermesio agendum fuit. Hoc quod in me susceperim, temeritatem hanc meam ut benevolenti animo accipiant viri docti, ex animi sententiâ rogo. Aliorum testimonia ex aetate vel antiquiore vel recentiore, ex scholis vel philosophorum vel theologorum afferre, propter peritos harum rerum non necessarium ac fere ineptum duxi; praesertim quum in hac quidem causâ facillimum illud esset. Si minus recte disputavi, quod admodum vereor ne factum sit, non potuerat pravitas peritiae rerum ostentatione huius emendari.

Libri in hermesianâ causâ editi:

Muratorii de ingeniorum moderatione in religionis negotio libri tres, ubi, quae iura, quae fraena sint homini christiano in inquirendâ et tradendâ veritate, ostenditur. Aug. Vind. 1779. — *Muratori:* üb. d. rechten Gebrauch der Vernunft in Sachen der Religion; aus d. Lat. übs. v. *Biunde* u. *Braun.* Koblenz, 37. — *Hast:* Hauptmomente d. hermes. Philos., od., Beleuchtung d. philos. Einl. in d. chrkath. Theol. v. Hermes. Münster 32. — *Hast:* üb. das Fürwahrhalten d. theoret. u. das Fürwahrannehmen d. prakt. Vernunft im hermes. Syst. ebd. 32. — *Baltzer:* Hinweisungen auf d. Grundcharakter d. hermes. Systems u. auf dess. Verschiedenheit v. d. Grundcharakter all. and. Hauptsysteme d. Philos. alter u. neuer Zeit. Bonn, 32. — *Kreutzer:* Etwas zur Vertheid. d. phil.-theol. Systems d. Hermes (gegen v. Sieger). Bonn, 32. — *Elvenich:* de Fichtii idealismo deque eius discrimine ab Hermesii realismo. Vratisl. 32. — *Volkmuth:* Kantius cum Hermesio in philosophiâ theoreticâ comparatus. ib. 34. — Erläuterungen d. hermes. Einl. in d. christkath. Theol. Trier, 35. — *Biunde:* üb. Wahrheit im Erkennen u. den Weg zu ihr. Trier, 35. — *Herzog:* d. Mensch, d. Kirche u. das hermes. System. Neisse, 36. — — *Elvenich:* acta hermesiana, quae, complutibus Hermesii libris a Greg. XVI. damnatis, ad doctrinam Herm. explicandam scripsit. Götting. 36. — *Zell:* Acta antihermesiana, quib. liber, dictus acta herm., dilucidatur ac refutatur. Sittardiae, 36. — Wie haben sich die v. d. hermes. Rechtgläubigk. überzeugten Katholiken in Ansch. d. Breve „Dum acerbissimas“ zu verhalten? v. e. Doct. d. Theol. Gött., 36. — *Hoffmann:* zur kath. Theol. u. Philos. Aschaffenb., 36. — Die Wahrheit in der Hermes'schen Sache zwisch. d. kath. theol. Facult. zu Bonn u. d. Hrn. EB. v. Cöln. Darmst., 37. — Beleuchtung d. Broschüre: die Wahrheit in d. Herm. Sache; v. e. Priester d. Erzdiöc. Cöln. Augsb., 37. 3. Aufl. — Kritik der Flugschr.: Beleucht. d. Brosch. u. s. w.; v. e. Katholiken. Rudolst., 38. — *Greensborough:* Prof. Hermes u. das Anathem. Darmst., 37. — Abdruck e. dogmat. Gutachtens üb. d. ersten 16 Sätze, welche in d. Erzdiöc. Cöln d. Klerus z. Unterschr. vorgelegt worden. Gött., 37. — Responsum de 16 prioribus earum thesium, quae sub titulo: Theses neoapprobandis et aliis presbyteris archidioecesis Coloniensis ad subscribendum propositae, innotuerunt; lat. P. Q. Darmst., 37. — Noch ein Gutachten üb. d. 16 ersten Theses u. s. w. v. e. kath. Theologen. Darmst., 37. — Theolog. Beurth. d. Sätze, welche den Geistl. d. Erzd. Cöln vorgelegt worden; v. e. kath. Geistlichen. Fkf., 37. — Die hermes. Lehren, in Bezug auf d. päpstl. Verurth. ders. urkundl. dargest. Mainz, 37. [blosser Auszug]. — *Biunde:* enarratio et refutatio incriminationum, quib. et rem et disciplinam hermesianam nuper prosecuti sunt Leodiensium auctores ephemeridum (iournal historique et littéraire). Trevir., 37, 38. 2 part. — *Klövekorn:* üb. Hermes, Hermesianer, Hermesianismus. Osnabrück, 38. — *Seling:* über Hermes etc. Bemerkk. z. d. Klövekornschen Schr. gleichen Namens. ebd. 38. — *Seling:* üb. d. Einheit Gottes u. mehreres Andre, m. Rücks. auf das hermes. Syst. ebd. 38. — Der sogen. Hermesianismus: dess. Urspr. u. geschichtl. Fortgang, s. Lehren im Verhältn. z. d. Lehren d. kath. Kirche; m. Rücks. auf d. Breve u. d. neuest. Gegner d. hermes. Systems. Von e. kath. Geistlichen. Bonn, 38. — *Kreuzhage:* Beurth. d. hermes. Philos., m. Bezieh. auf d. Verhältn. d. Phil. z. Christenthum. Münster, 38. — *Carové:* Papismus u. Humanität. Lpz., 38. 2 Hefte. — *Münch:* römische Zustände u. kathol. Kirchenfragen der neuesten Zeit. Stuttg., 38. — (*Biunde*): Nachruf e. Hermesianers an e. ehemal. Hermesianer auf dess.

Zuruf an alle Hermesianer. Trier, 38. — *Biunde* u. *Rosenbaum*: Blätter z. Orientirung in Sachen d. Hermesianismus. Trier, 38. 2. Aufl. — Meletemata theologica; ediderunt *Braun* et *Elvenich*. Hannov. et Lips., 38. — *Biunde*: Fundamentalphilosophie. Trier, 38. — — *Pflanz*: freimüthige Blätter üb. Theol. u. Kirchenthum. Stuttg., 38. — Der Hermesianismus u. d. preuss. Staat, in ihrer welthistor. Bedeutung. Köln, 38. — Acta romana; ediderunt *Braun* et *Elvenich*. Hannov. et Lips., 38. — Zeitschr. f. Phil. u. Theol., v. *Achterfeldt*, *Braun*, (*v. Droste*), *Scholz*, *Vogelsang*, Professoren in Bonn. Köln, 33 ff. Heft 1: üb. d. Leben d. Hermes. Vgl. *Esser*: Denkschr. auf G. Hermes.

Libri in finitimâ re editi:

von Sieger: Ur-Philosophie, den Systemen d. Dogmatisten, Kants, Jacobi's, vzgl. d. Nothwendigkeitssysteme v. Hermes gegenüb. angedeutet. Düsseld., 31. — *Dess.*: Theorie d. Glaubens; z. Verständigung m. d. hermes. Schule u. z. Vervollst. d. Urphil. Köln, 33. — *Kreutzer*: Noch Etwas z. Würdigung d. Prüfung u. Begründung d. Glaubens, gegenüb. d. blinden Glauben. ebd. 33. — *Johannessen*: krit. Darst. d. theoret. Grundss. des de la Mennais u. seiner Geistesverwandten in Fkch u. Dtschl. Cöln, 38. — *Jansen*: Signatur d. modernen kath. Dogmatik in Deutschl. Trier, 37. [gegen de la Mennais u. Bautain]. — Louis Bautain, als Philosoph u. Priester, in s. Streit m. d. Bischof z. Strassburg; v. *Jünge*: in *Illgen* Ztschr. f. hist. Theol. 7. B. 2. H.— *Bautain*: philosophie du christianisme. — Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain. Strassbourg, le Roux. — *Braun*: d. Lehren des sogen. Hermesianismus üb. d. Verh. d. Vernunft z. Offenb., gutgeheissen u. d. entgegenstehenden Ansichten als falsch u. gefährlich verworfen v. d. Bisch. v. Strassburg, Hrn. le Pappe de Trevern. Bonn, 35. — Rapport à Mr. l'Evêque de Strassbourg sur les écrits de Mr. l'abbé Bautain; publié par ordre de sa Grandeur. Strassb. 38.

Libri ab Hermesio scripti:

Untersuchungen üb. d. innere Wahrheit d. Christenthums. Münster, 1805. — Abhandll., aus d. Nachlass, in d. cölner hermes. Ztschr. Heft 2. 3. 6. 10. — Einleitung in d. christkath. Theol. I.: Philosophische Einl. Münster, 1819. 2. Aufl. 31. — II.: Positive Einl. ebd. 1829. 2. Aufl. 34. 1ste Abth. (die 2te nicht erschienen). — Christkathol. Dogmatik; nach H. Tode herausg. v. *Achterfeldt*. Münster, 34. 3 Th. (unvollendet).

PRAEFATIO QUAESTIONIS
ET
UNIVERSAE REI HERMESIANAE COMPLEXIO[1]).

§. 1.
De ratione, qua theologia et philosophia inter se contineantur.

I.

Hermesius cognationem philosophicorum et theologicorum cerni iudicavit in cognatione fidei[2]) et intelligentiae mentis. In intelligentiâ enim positam dixit fidei tum naturam tum auctoritatem et potestatem. Hac duplicis fundamenti, quod tandem unum sit, communione tanquam vinculo theologiam cum philosophiâ coniunxit.

Natura fidei, inquit, cernitur in ratione eâ, qua fides inest in homine; in hac igitur mentis animique conditione, ut certum sit homini, esse id, quod esse ipse cogitavit. Ac modis quidem duobus haec animi conditio in homine esse potest. Appellaveris eos vocibus suffragandi ét arbitrandi [Fürwahrhalten und Fürwahrannehmen]. Suffragari est eius, qui commovetur ad credendum per vim eiusmodi causarum, quae in rebus sitae ex harum naturâ menti afferunt credendi necessitatem. Suffragatur enim mens suae conscientiae sui, quando ad hanc examinandam

1) *Hermesius* de universâ re suâ, in tres locos distributâ, generatim exposuit: philos. Einleitung, praefat. atque pag. 1—91. et 257—266.

2) Periti generis dicendi antiquorum Romanorum plurimis in locis aegre ferent meam scribendi imperitiam. In quibusdam vero ad hanc accessisse iudicabunt vel rerum dicendarum novitatem vel formularum dicendi brevitatem. Apud antiquos illos homines, quarum rerum erat ignoratio, earum non potuit esse appellatio. Nonnullos dicendi modos ferebat linguae ingenium, usus non tulit; quod est huius arbitrium. Late autem ac copiose dicere, oratorum est. — His fere non neglectis cautum fuerit, ne superstitionis suspicionem incurrat illa, quae apud nostros est, veterum imitatio.

reflexa et ad verum habendum id, quod haec fert, compulsa est logicarum rationum vi et tanquam physicâ necessitate. Arbitrari est eius, qui ipse se commovet ad credendum per vim eiusmodi causarum, quae in ipsius voluntate sitae ex hac solâ afferunt credendi necessitatem. Arbitratur enim mens, esse verum id, quod fert eius conscientia sui, quando, ad hoc reflexa, sustulit non ipsas quidem logicas causas dubitandi, auctoritatem vero earum. Nam potest etiam suo quodam arbitratu, libere et ultro susceptâ necessitate ad verum habendum se compellere, ac plus tribuere ethicae huic quam logicae illi necessitati. Accidit hoc, quando mens eum agendi modum, ad quem imperandum naturâ suâ fertur, non potest imperare, si quas res non censuit esse, potest vero imperare, etiamsi non monstravit eas esse. Situm igitur est suffragium in theoreticis causis, arbitrium in practicis. Perperam alii tres modos verum habendi esse dixerunt: opinionem, fidem, scientiam. Opinio et scientia non comprehenduntur cum fide per generis eiusdem dignitatem. Alienae illae sunt vel a necessitate verum habendi, in qua posita est fides, vel ab ipso habendo verum, in quo cernitur fides.

Auctoritas et potestas fidei referunt naturam fidei. Auctoritas conspicitur in eâ ratione, qua orta est fides in homine, in intellectâ igitur ex causis suis necessitate illius animi conditionis. Potestas conspicitur in eâ vi, qua valet fides ad pietatem animi vitaeque honestatem. Sicubi seiunctae sunt intelligentia et fides, haec caeca est, illa imbecillis est. Verum intelligentia mentis necessario profert fidem cum piâ honestate, tanquam geminum unius fructum. Atque etiam eximit vitia ex simpliciore fide et inserit in eam virtutes. Illa sola docet, vel quid sit verum, vel sanctum esse id quod verum est; itaque suppeditat homini materiam pietatis et honestatis. Primum igitur mentis intelligentia simplicitatem fidei ita tollit, ut caecitatem eximat, modestiam relinquat. Cum enim aperit rationes eorum, quae credenda sint, vel erigit vel deprimit sensuum humilitatem et imbecillitatem suâ sublimitate et potestate. Cum continuo metiendam meditatur immensam finis propositi longinquitatem, arcet a mente ipsâ vanam

elationem et inanem doctrinam. Deinde eadem illa animi vim ita temperat cum sedatiore cogitationis naturâ, ut fervorem non extinguat. Differt vero eundem, usque dum nactus ab ipsâ sit animus, quo ferveat ac recte et continuo fervere possit.

Philosophia autem est studium gignendi alendique hanc fidem, quae fingit hominem et efficit naturae vitaeque eius dignitatem [1]). Eximit illa ex animo contemtionem fidei, quae vanitatem huius iactat, velut scepticorum superbia. Eximit etiam corruptionem fidei, quae nomen et locum huius usurpat, velut temeraria opinio et superstitio atque ignava rerum scientia. Est vero haec virtus et potestas nonnisi unius philosophandi rationis. Eam dico, qua primo omnium quaesitum sit de cognoscendi veri criterio et principio et termino. Atque adeo eam, qua denique compertum sit, unam veri certique notam esse intellectam rei necessitatem, unum veri fontem esse mentem, vero certoque potiri posse mentem in quadam suarum rerum parte.

In theologiâ non alia est fidei et intelligentiae ratio. Nam fides ab opinione et scientiâ non discernitur nisi necessitate credendorum intellectâ. Hinc aeque theologiae ac philosophiae principia sita sunt in mente, universi veri uno fonte. Philosophia ex ipso hoc fonte hausit causas fidei. Theologia explicat ex his derivata argumenta fidei. Singula praecepta theologiae primo vim mentis ita sustinuerunt, ut plures gravioresque sint vel suffragandi vel arbitrandi quam dubitandi causae. Eadem praecepta deinde per mentis vim ad principia universi veri sic relata sunt, ut appareat, ea in huius universitate suum quendam locum necessario tenere et tanquam corporis huius particulas esse.

II.

Summa horum, quae ab Hermesio disputata sunt, ad hoc redit, quod ille rationem dignitatis eius, quam fides et hinc theologia ac philosophia habeant, cerni iudicavit

1) Wie des Menschen Glaube, so seine Wirklichkeit; und wie seine Wirklichkeit, so seine Sittlichkeit.

in mentis perspicientiâ causarum fidei necessariarum. Haec quaestio, quae ab antiquo tempore mota ingentem irarum vim concitavit, duo locos complectitur, in quibus tractandis versabitur rei hermesianae existimatio.

Primum vero hoc ille non ostendit, *posse in homine reperiri* illam perspicientiam mentis. Istâ fidei ratione positâ, genus humanum in rerum suarum discrimen adducitur. Ea mentis eruditio, quae ad illam perspicientiam perduxerit mentem, ardua res est ac sita in ambiguâ fortunâ. Atque interest inter minorem illum certi modum, quem sustinet indagatio veri philosophica, et maiorem eum, quem flagitat usus veri per philosophiam inventi ad vitam transferendus. Vita humana, cum in practicis tum in ethicis, tantum movetur sive virtutum philosophiae spe sive vitiorum eius metu, quantum fert comprobatio cuiusque commenti, facta illa quidem in ipso vitae usu. Hinc temeritatis est, fidem, quae universam dignitatis humanae et maximarum rerum humanarum rationem complecti recte dicitur, totam habere collocatam in intelligentiâ mentis, itaque in plerisque hominibus tanquam ad infinitum tempus differre.

Deinde illud non ostendit Hermesius, *consistere naturam fidei cum eâ, quam dixit, mentis intelligentiâ.* Non inest error eius in distribuendo modo roboris illius, quod vel intelligentia vel fides invicem aut impertiat aut adipiscatur. Hunc enim modum generatim dicendo definire, contra naturam est et plane ineptum. Inest vero in sublatâ fidei et intelligentiae seu scientiae differentiâ. Nam omnem fidei rationem ille iudicavit cerni in intellectâ logicâ potissimum eorum, quae proposita ei sint, necessitate. Sed flagitat differentiam credendi et sciendi tum psychologica tum ethica quaedam causa.

Animae hominis ea natura est, ut hic vestigia veri, sive rebus sive menti quoque impressa, non uno modo, sed duobus modis cognoscat et in vitam transferat. Alter modus, in quo potissimum intelligentia mentis consistit, proficiscitur a ratione eâ, qua res homini obiectae et ab homine susceptae sunt; alter, in quo animi sensus, a rebus ipsis, quae sunt obiectae. Mentem dicuntur res ferire, ubi in ho-

mine insunt explicatae et distinctae; animum, ubi coagmentatae. Vis ea, qua res in homine valent, qualis et quanta sit, hoc situm est, ubi mentem appellamus, in hominis perspicientiâ et in rerum perspicuitate. Ubi animum appellamus, situm illud est in rerum obiectarum vel naturâ vel copiâ, eâque universae hominis naturae et conditioni aut consentaneâ aut minus congruâ aut adversante. Hîc vis et efficacitas rerum sentitur; illic etiam natura rerum ac ratio et causa efficacitatis cognoscitur. Utro horum modorum magis vel contineatur quisque vel debeat contineri cum rebus, hoc in diversitate naturae et conditionis vel hominum vel rerum situm est. Utro potius modo vel res hominem feriant vel hic debeat ab illis feriri, de hoc generatìm existimari non potest. Ab eâ quidem, quam ex vitâ humanâ cognovimus, naturâ humanâ alienum est, prorsus necessariam dici perspicientiam mentis ad veri ac fidei potestatem. — Non magis altero quodam in loco Noster assecutus fuit mentis animique naturam. Diversitatem modi, quo homo vel in suffragando vel in arbitrando versetur, in hoc inesse dixit, quod ad suffragandum commoveatur logicâ et ad arbitrandum ipse se commoveat ethicâ vi causarum necessariarum. Nec commoveri a commovendo sese, nec vis logica ab ethicâ vi plane separari potest. Illud quidem passim fieri par est, ut, theoretice in rebus versantes, nullâ ethicâ ratione ducamur. Sed non vicissim, in rebus ad agendum pertinentibus versantes, plane non θεωροῦμεν et plane nullâ ducimur logicâ ratione. Differentia theoreticae et practicae mentis non cernitur in τῷ θεωρεῖν et in τῷ μὴ θεωρεῖν. Theoretice mens cernere studet quascunque res, quae sint. Practice mens continet idèm hoc studium ab aliis rebus omnibus praeter necessarias ad agendum. Imperando autem et credendo non continetur ipsa res ea, quam practica mens gerit, sed significatur exitus huius rei. Neque discerni potest necessitas alicuius rei ethica ea, quae recte dicatur, ab commentitiâ nisi cernendo legis ethicae et rei connexionem.

Ethica autem fidei ratio et vis eodem modo imminuitur, quo modo intelligentia augetur. Atque adeo tol-

litur illa hac perfectâ, penitus perspectâ logicâ necessitate rerum propositarum. Studium quidem aliquo modo hanc necessitatem intelligendi tantum abest ut imminuat ethicam fidei rationem et potestatem, ut eam maxime corroboret. Prorsus intellecta vero logica necessitas tollit etiam locum fidei. Et prorsus intelligi et credi idem non potest. Existimare de re ethicis ex causis, nisi logicae causae fuerint ad rem non idoneae, non habebit ethicam dignitatem.

§. 2.

De ratione, qua inter se contineantur theoretica et practica vel philosophia vel theologia.

I.

Hermesius theoretica habuit ethicorum omnium fontem ac sedem. De qua re his fere exposuit. In genere praecipiendi vel philosophico vel theologico est theoreticae disciplinae, indagare eam, quae sit, rerum divinarum et humanarum naturam et necessitudinem; practicae, derivare ex hac eam, quae debeat in homine esse, animi affectionem vitaeque actionem. Theoretica disciplina ipsa semetipsam ex suis quibusdam principiis procreat et fingit. Practicam totam ex se progignit et conformat. Efficit, ut haec et sit et ea sit quae est. Fontis et moderaminis ratione hanc secum continet. Vicissim practica disciplina in theoreticâ disciplinâ non valet auctoritate. Adauget quaestionum theoreticarum pondus, non praeceptionis theoreticae robur et nervos.

Explodendae igitur sunt duae philosophorum et theologorum opiniones. Altera eorum, qui sibi et aliis persuaserunt, ad vitam recte transigendam idoneum esse animum, qui solo vitae cursu sit eruditus, non subactus etiam cultu mentis; atque adeo posse fieri, ut consensio hominum latius pateat in practicis, quam patet in theoreticis. — Altera eorum est opinio, quibus velut Kanto ethica lex visa fuit universam de agendo praecipiendi rationem complecti. Est vero ista lex, sive spectas rationes agendi sive fines bonorum, tum exilior, quam fert

dignitas naturae humanae, quae ad deum quasi revocanda est, tum debilior, quam flagitat imbecillitas eiusdem, quae fortiore divinâ vi superanda est. Colendae ethicae naturae curriculum per istam legem circumscribitur terminis huius terrae. Omnino non possunt immediata, quae iactantur, practica principia in divinâ humanâve institutione reperiri. Nec nativae nec singulari modo a deo ad homines perlatae ideae ethicae esse possunt, quae tanquam leges simpliciter imperent quendam sentiendi agendique modum. Imperari non potest nisi cognitio aestimatioque rerum earum, quibus stabiliatur sentiendi agendique modus. — Sic denique universa ethice, ut par est, non ex alieni sed ex sui generis rebus, ex divinis derivatur. Eadem proinde appellanda est moralis theologia potius quam philosophia [1]).

Causa, cur sic de hoc loco existimaverimus, vel physica vel ethica fuit. Primum enim rationes officiorum et officia non sunt, nisi habent ex quo ducantur et ad quod referantur. Non habent autem, nisi res quasdam obtulit theoretica disciplina, quae sola potest offerre. Mens necesse est obiecerit animo τὰ θεωρούμενα sua. Animus deinceps ad harum rerum naturam et potestatem ultro sese applicat, componit, fingit, in sentiendo, volendo, agendo. — Deinde ethicam dignitatem habere ac robore valere pietas et honestas non potest, non cognitis aestimatisque ab ipso homine rebus illis, in quibus rationes et causae pietatis et honestatis sitae sunt. Cognitis autem aestimatisque, ultro robur ac dignitas pietatis et honestatis consequitur. Itaque omnis ethicae virtutis ac dignitatis ratio comprehenditur accommodatâ ad cognitam aestimatamque rerum naturam animi voluntate et vitae actione.

---

1) Hinc, ut de theologicis singulatim dicatur, qui de religione praecipit, is non universam theologiam complectitur, sed in unâ quadam practicae theologiae parte continetur. Practica theologia et tota et sua sponte promanat ex theoreticâ, sive naturali sive revelatâ. Non est ex ethicis dei mandatis quibusdam congerenda, sed ex theoreticis praeceptis sive hominum sive dei derivanda. Inepte apud theologos circumfertur etiam practica revelata theologia.

II.

Exstiterunt inprimis duae de universo hoc loco existimandi rationes[1]. Alteris, iisque critice philosophantibus, velut Kanto et Herbarto, placuit separatim tractari theoretica et practica. Censuerunt, ideas agendi tum esse insitas menti a naturâ, tum ad vitam valere posse etiam sublatâ scientiâ rerum; hanc igitur ita abesse a mente humanâ, ut non desit vitae humanae; eandemque suppleri eâ fide, quam ethica lex faciat menti meditanti de his rebus, quae cum istâ lege contineantur. Alteri, iique dogmatice philosophantes, velut Plato ex antiquis et Schleiermacherus ex nostris, quaestionibus theoreticis et ethicis aeque praefecerunt ideas rerum et ideas agendi. Ethicarum idearum vel rationem et causam vel vim et efficacitatem ex theoreticarum auctoritate et perspicuitate nexam esse censuerunt. Hinc ethicen etiam in theoreticâ et quasi cosmicâ rerum cognitione collocaverunt.

Hermesius a dogmaticis his propius abfuit quam a criticis illis. Deseruit vero susceptam a se rem vel theoreticorum vel ethicorum. Praecepit enim: principia ethicorum nisi derivata ex theoreticis esse nulla; ideas ethicas esse nullas; quidquid de agendo praecipiatur, id ex intelligentiâ mentis manare. Theoreticorum rem deseruit. Nam physica illa, quam attulit, causa neque hoc ostendit, hominem ad agendum commoveri non posse, rebus positis quidem, non cognitis vero; neque illud, reperiri in homine posse istam, quae rationes modosque agendi in eum quasi inferat, rerum cognitionem. Ethicorum rem deseruit. Nam probatâ ethicâ illâ, quam attulit, causâ concidit dignitas humanae naturae ethica, sive certum sive incertum hoc esse iudicas, quod mens theoretice versans in rebus satis vi suâ valere perhibetur. Certum si iudicas, ne locus quidem residuus est ethicae digni-

---

1) Illi enim, qui, in fortuito vitae cursu tanquam pendentes, theoreticorum cultum omnem despiciunt, ac qui hominem ita ex homine exuerunt, ut naturam odisse videantur, ab hac quidem disputatione alieni sunt. Agitur enim cum hominibus, non cum illis, qui venditant florentem carnem.

tati. Mens, siquidem ex rerum et suâ ipsius naturâ et connexione rationes modosque agendi cognoscit, θεωρεῖ illam naturam et connexionem per quandam a naturâ sibi insitam legem. Physica igitur eaque logica necessitas τοῦ θεωρεῖν gignit et fingit necessitatem τοῦ πράττειν. Voluntati ac dignitati ethicae qui locus dari possit, non reperio. Sin incertum illud iudicas, ethica in eodem illo collocata in maximum discrimen et in maximam dimicationem adducuntur. Ea quidem quae hucusque fuit hominum conditio monstravit, in plurimis maximisque illis rebus, quae cum agendo continentur, deesse plerisque hominibus theoreticam illam, quae necessitatem earum ostenderit, mentis eruditionem. Hinc summae temeritatis esse supra iam dictum est, universam ethicae virtutis rationem in fortuitâ incertâque re collocatam habere, eius quod fingit hominem nihil nativum et in cuiusque hominis pectore situm iudicare. In ethicis, quae ad universos homines aeque pertinent, plurimos paucorum auctoritate moveri et his tanquam cardine verti nefas est.

Haec non ita velim dicta existimari, ut Kanti auctoritas adversus Hermesium valere videatur. Quam enim ille sententiam dixit de theoreticorum et ethicorum naturâ et inter se ratione, ea duobus in locis ab erroris suspicione vix potest liberari. Primum non ostendit, mentem, cum res ex formis rerum cognoscere conatur, ita teneri impeditam commentorum invicem pugnantium falláciâ, ut non possit haec non quoquoversum patere et in sempiternum valere. Vanitas studii, quod in eruditione mentis ad rerum cognitionem proferendâ versatur, non est effecta per istam antinomiarum ostentationem. Fuit enim haec mentis, ut ita dixerim, tentatio ab uno quodam facta; hinc sedes universae huius critices empirica; dehinc conclusio eiusdem dogmatica. Ista, quam dicunt, inductio, ut sint recte compositae singulae eius particulae, ad finem tamen perducta videri et criticen concludere non potuit. Omnino nulla humanae mentis exploratio et definitio, sive dogmatica sive sceptica criticave est, facultatem a naturâ insitam metiri potest. Nam eruditionem huius eam, quae possit esse, metiri non potest. — Deinde Kantus non

ostendit, potuisse legem ethicam, sublato ipso etiam studio theoreticorum, tantum auctoritate et potestate valere, quantum eam adscitâ theoreticâ eruditione valuisse ex rerum humanarum memoriâ accepimus. Esto hac lege comprehensa satis manifesta significatio et eius, quod agendum sit, et rerum earum, quas esse credamus, quo possit agi. Satis valere autem haec idea agendi ac norma credendi non potest ad hominum vitam. Hi enim sentiunt, sese non solum sensuum vi magnâ impediri, sed etiam cum rerum naturâ continuo contineri. Hinc ethicorum causas et fines eum rebus complecti consueverunt. — Harum fere rationum vi invictâ retrahimur ad metaphysicorum studium, cuius neque logicam neque ethicam vanitatem Kantus monstravit; ad diluendum autem illum fucum, quem hic tamquam factitium colorem auctoritatis et potestatis induxit menti ad agendum sese applicanti.

Neque Herbarti sententia cuique probari posse videtur; quanquam ego quidem admodum magnam huius viri auctoritatem esse arbitror. Cui quum tantum tribuam, ea, in quibus ab eodem discedendum esse putavi, potuerunt dubitationis, non dissensionis naturam arrogare. Hic igitur philosophus non ipsum quidem cultum metaphysices et universae theoreticae philosophiae a mentis facultate, sed usum eius a vitae recte instituendae ratione alienum iudicavit. Ideis vero ethicis tantam eamque quasi magicam vim tribuit, ut ethicen in uno hoc fundamento exstructam fere improviso prodire cernas. Complectar totius loci huius argumentum; de quo apud Herbartum sic fere expositum est.

Metaphysice et ethice, inquit, separatim ad suum quaeque exitum ita perducendae sunt, ut ne quaeratur quidem, num aliquâ ratione inter sese contineantur. Conficitur utraque ex physicorum potissimum arte et disciplinâ. Hanc dicimus investigationem eius vel rerum vel hominum naturae, quae menti a sensibus obiecta et in usu vitae conspicua est. Consideranti naturam utriusque generis adsunt eius, quod sit, non ideae menti insitae, sed vestigia rebus impressa. Apparent haec, si prudenter versatur in rebus cognoscendis. Hae cognoscuntur ex vi impres-

sionum, quas in se invicem faciunt simplicium substantiarum concursationes et complexiones. Quae dum continuo fiunt, unâ cum formis rerum continuo eiusmodi quid in medium locum proferunt et ostentant, quod multitudo hominum animam et notiones ab hac effictas appellare consuevit. Ista vero anima ipsa continuo fit; non efficiendo aut moderando illud quod fit, sed adversus monadum coagmentationem, qua quod vere fit totum comprehenditur, consistendo et suum locum tenendo, hinc eandem monadum vim et experiendo et inspectando. Obversantur autem animae, nescienti quidem, unde hoc ita sit, inter monadum coagmentationes etiam ideae et normae quaedam de iis, quae inspectat, iudicandi. Quo num quid in rerum compage efficiat anima, non liquet. Illa quidem, quam voluntati humanae arrogarunt, transcendentalis libertas inane commentum est. Ethica ars a physicâ arte hoc uno discernitur, quod anima etiam iudicat de iis, quae inspectat. Hinc illa est aesthetica potius appellanda. Atque etiam collocanda primo omnium est in staticâ mechanicâque animam cognoscendi arte. Hanc psychologi, siquando ad meliorem frugem redierint, suppeditabunt. Sic denique futurum fortasse est, ut ethica cum physicis metaphysice conspirent ac coalescant.

Aliquam videtur haec disputatio habere dubitationem. Tractatio quidem physicorum et ethicorum separatim fiat necesse est. Vehementer errarunt, qui physicas quaestiones cum ethicis ita miscuerunt, ut in rebus ab homine gerendis inesse crederetur ipsarum rerum, quae sint, manifesta significatio. Neque ea sententia, quae a dogmaticis, velut a Platone et Schleiermachero atque a Schellingio et Hegelio, lata est de mutuâ physicorum et ethicorum ratione, omnem sustulit incerti suspicionem. Incassum, ut de uno ex his dicam, Schleiermacherus unam quandam scientiae artem, in quâ physica et ethica tanquam complicata laterent, moliendam putavit[1]). Philosophiae vero est, non

1) *Schleiermacher*: System d. Sittenlehre, allg. Einleitung. In vanis autem sublimia somniantium commentis ipsa illa dogmaticorum sententia non videtur habenda esse iis ex causis, quas attulit Herbartus, Metaphysik I. p. 390—428. Principe quidem in loco

deserere hominem; praesertim si hic censendus sit pendere inter rerum sese fingentium arbitrium et animae inanem inspectandi iudicandique laborem. Apud Herbartum autem residua homini non est nisi caeca fides, quam habeat ideis practicis. Nam auctoritas harum nulla est, si est eius, quod inspectante homine fit, et eius, quod ipse de hoc iudicat, coniunctio ac convenientia aut nulla aut fortuita aut ambigua; ita quidem, ut recte ab ipso etiam studio hanc cognoscendi prohibeamur. Differre enim iubemur hoc studium, donec ipsius naturae rerum cognitio sit omnibus numeris absoluta. Quod num possit unquam fieri, et qui futurus sit rei exitus, congruusne cum eo, quod ideae ethicae ferunt, an ab hoc alienus, incertum est. Nunc quidem unum hoc reliquum est, ut unum bipartitae huius vel rerum vel hominum naturae auctorem rectoremque esse simpliciter credamus, quamvis neutra natura necessitatem eius ferat.

Quo minus huic ultra Aristotelem prolatae physicorum et ethicorum separationi suffrager, impedit ipsa ea, quae in vitâ hominum sive deprehenditur sive significatur, hominum natura. Ex his enim ii prae ceteris bene morati et intelligentes habentur, qui, ubi sive a mente sive ab animo ad res his terris elatiores cogitandas trahuntur, ad suae naturae indolem propius accedere se credunt; ubi vero in rebus hac in terrâ circumiectis vel continent se vel continentur, facile accidere suspicantur, ut ab suâ naturâ deflectant. Si non prorsus temere sic existimari consuevit, consentáneum ac paene necessarium duco, ut ethice, quae humanitatem fingat, utramque naturae humanae quasi partem complectatur, et hanc quae est et illam quae debeat nasci et effingi. Nasci et effingi au-

---

propositam causam praetermitti par erat. Schleiermacherus enim censuerat, literarum artiumque studium ab ethicis nancisci dignitatem. Herbarto visum est, hoc modo universam metaphysicam in ipsius loci, quem in artium numero tenere consuevisset, discrimen adductam esse. Nam, inquit, ethice damnat controversiam; metaphysice fecunda est copià controversiarum. Nescio ego equidem, ethicamne eam an metaphysicam eam magis admirer, in quibus sit eius controversiae, quae inter metaphysicos est, et eius, de qua ethicis ex causis iudicandum est, eadem natura.

tem illa non potest per solas eiusmodi ethicas ideas, quae aesthetico illo modo in animum hominis prodeant, ex rerum quae in his terris fiunt aestimatione solâ. — Sed hic locus latius patet ac singulatim est tractandus.

Scientia quidem naturae et coniunctionis rerum hominumque non recte Hermesio necessaria visa fuit ad cognoscendum de modo agendi et ad agendum. Credere vero hominem necesse est, eam suam rerum aestimationem, quam flagitet ethicarum idearum ratio et quae cum empiricâ logicâque naturae rerum investigatione fuerit coniuncta, propius ad ipsam rerum naturam accedere posse. — Ethicae ideae, quae nascuntur cum homine, effinguntur ab homine etiam per theoreticam mentis eruditionem. Per hanc adipiscuntur aut humilitatem et imbecillitatem, aut dignitatem et robur. Illud igitur, quod Hermesius dixit, humilitatis et imbecillitatis vitium non necessario inest in naturâ et origine idearum. Infertur vero, ubi hae effinguntur illo theoretico modo ab ethicâ ratione prorsus seiuncto. Ille enim non potest signa et vestigia finium homini propositorum alia praeter obvia in his terris offerre. Nec potest ratos habere fines bonorum eos, qui per ideas ethicas imperantur potius quam per terrestrium rerum naturam significantur. Viderit, qui illo theoretico modo effingendas censuerit ethicas ideas, ne hae pendeant mediae inter coelos et terras; ac nec ipse pendeat in ambiguâ hac quaestione, futurumne sit, ut istae aut sursum et ipsae ferantur et nos secum ferant, aut tandem deorsum redeant et nobiscum sint, aut denique evolent in coelos ac nos in his terris relinquant. — Positâ illâ metaphysicorum et ethicorum separatione, ideae ethicae dicuntur a primordiis rerum humanarum fuisse non leges et normae agendi, in genus humanum tanquam in suam provinciam cum imperio missae; sed quasi rasae tabulae, quibus pedetentim leges eae inscriptae sint, quas quoquo tempore terrena naturae humanae eruditio conditioque ferebat. Fuisse saepenumero hanc idearum ethicarum conditionem et fortunam, id quidem accepimus. Apparet vero, eam qualemcunque dignitatem et integritatem, quam illae eruditiorum cultu ab antiquo tempore nactae repe-

riuntur, ex metaphysicae et theoreticae magis quam ex empiricae eruditionis studio oriundam fuisse. — Neque potuit hoc secus esse. Boni et honesti indagatio redeat necesse est ad fontem et principium boni, ad supremam ideam rerum, ad summum Numen. Invenienda enim est divinae, non animalis humanitatis ratio. Atque naturae rerum ea indagatio, quae ad hominem pertineat, etiam in universitate rerum indagandâ versetur necesse est. In hac enim geruntur et cum hac continentur sive physici sive ethici generis res humanae. — Lepidum est, vanitatem susceptae rei repetere ab eâ, quae in mortalibus est, ignoratione istarum maiorum rerum; testem huius afferre ingentem vim et molem singularum terrestriumque rerum, quarum propinquitas non potuit ignorantiam hominum superare. Agitur non hoc, ut, quemadmodum vidimus Hermesium praecepisse, intellexerit et sciat homo, esse res illas aut quae eae sint. Illud vero agitur, ut legem et normam homo habeat, quam praefecerit suarum rerum cogitationi. Ea lex in hoc cernitur, ut singula quaeque studeat referre ad unum quoddam corpus ac principium. Male quidem singulae res neglectae iacuerunt. In sempiternum vero hae ipsae, quae prope te sunt, vel secum vel tecum pugnabunt, si non investigaveris earum causas et rationes in rerum universitate. Humanae potissimum res cum utroque suo genere complectendae sunt, et cum humiliore, quod his terris contineri conspicitur, et cum altero tanquam nobiliore, quod ultra has terras patere creditur. — Studium illud ethica augendi etiam physico ac metaphysico modo, etiam per investigationem universitatis et principii rerum, profecto, quae est rei magnitudo, nunquam superaverit rei difficultatem. Imminuere vero hanc potest. Nam ad ipsam rem, quae agitur, se applicuit; atque eiusdem, cuius haec est, generis dignitate cum hac comprehenditur. Ista vero singularum minorumque rerum cognitio admirari quidem potest illatum in medias hasce res ab ipsis his alienum illud practicarum idearum genus. Sed dignitatem generis illius ac potestatem huius dignitatis in vitam hominis transferre non potest. Impedit primo omnium hoc, quod ipsa ista cognitio non minus est fortuita et incerta

quam illa in physicorum ethicorumque coniunctione collocata naturae indagatio. Magis etiam illud impedit, quod secum ipsâ parum consistit universa ea, adversus quam dixi, ratio de toto hoc loco philosophandi. Praecipitur enim, ut continuo prosequamur vestigia eius rerum hominumque naturae, quam ante pedes positam circumiectamque cernamus. Praecipitur vero etiam, ut in investigando ista vestigia separemus per practicas ideas significatam hominum naturam ab reliquâ vel hominum vel rerum naturâ. At ante plerorumque hominum pedes ita posita est utriusque naturae, et rerum et hominum, connexio, ut in hac ipsâ cerni appareat naturam huius utriusque naturae. — Denique esto staticus mechanicusque modus is, quo anima humana in omnibus suis rebus tractandis versetur; et atomisticus is, quo rerum compages ipsa se fingat. Par vero est, cosmologicam hanc et psychologicam illam metaphysicen a practicâ philosophiâ arceri potius quam, quod Herbartus instituit, ad eam applicari. Prius enim, necesse est, metaphysice ista in utroque genere ad exitum perducta docuerit, aut posse aut non posse etiam humanam animam *πράσσειν τι*, docuerit igitur aut usum et auctoritatem aut vanitatem practicae philosophiae.

§. 3.

De ratione, qua cum Christi et catholicae ecclesiae rebus vel theologia vel philosophia contineatur.

I.

Hermesius, quodcunque complexus erat in philosophicâ hac introductione, idem censuit christianae catholicaeque theologiae aeque consentaneum ac per sinceram philosophiam necessarium.

Fontes, inquit, ex quibus, quae praeceperit et instituerit Christus, cognoscitur, tres sunt: libri N. T., Traditio, Magisterium ecclesiae. In historicâ horum fide comprobandâ versatur positiva introductio.

Prius autem philosophica introductio ostenderit necesse est, ista theologica principia tria contineri

cum mente humanâ, itaque cum universitate principiorum cognoscendi verum. Tripartita est quaestionum divisio. Primae quaestionis, in qua mens humana semetipsam examinaverit, exitus hic erit: Logica necessitas, quae est uberius certiusque veri κριτήριον quam ethica necessitas, ostenderit principium et terminum, quae posita sint facultati mentis in cognoscendo vero. Secundae quaestionis, in qua mens fundamentum divinae et humanae rei exploraverit, hic erit exitus, ut duo illos locos, in quibus num sit deus et quae sit huius natura quaeritur, ipsi menti patere appareat. Tertiae quaestionis, in qua mens ad singulas res divinas ultra nativum terminum sitas pervenerit, duplex haec erit ratio. Mens promta erit ad sequendam abhinc ducem divinam mentem, quae in Christo exstitit hominibus manifesta. Nam necessitatem huius intellexit, donec propriâ suâ vi rem gerebat. Eâdem vero etiam in intelligentiâ collocatam fidem omnibus iis habebit, quibus viderit suppleri a divinâ mente humanam mentem. Nam in his, quae potuit ipsa invenire, illorum, quae non potuit, necessitatem cognovit.

Haec philosophicorum theologiae subsidiorum praeparatio primum consentanea est christianae ac catholicae theologiae. Nam tribuit humanae menti locum in cognoscentibus quidem principiis supremum, in cognoscendi vero principiis nullum. Exitum hunc habuit, ut gestâ re ipsâ ostenderit: philosophos et posse et oportere apud Christum et huius interpretem ecclesiam nomina profiteri; philosophiam et theologiam coaluisse potius quam invicem pugnare; pietatem et honestatem unâ cum fide robur mentis assumsisse. — Atque etiam vehementer necessaria est illa praeparatio, quippe quâ solâ fugantur somnia et propulsantur incursationes male philosophantium. Monstravit hoc tum illa theologicorum et philosophicorum cognatio, tum huius praesertim aetatis conditio. — Deinde ipsa in hoc libro proposita philosophandi ratio, in quo ab aliâ quâcunque discernitur, eodem et sola et prorsus idonea est ad metaphysicorum quaestiones dissolvendas. Aperuit viam, qua universi homines ad veram et certam et unam sententiam de divinis humanisque

rebus diçendam recte contendant. Nam is, qui eam proposuit, hanc ipsam ob causam nulli se scholae philosophorum mancipavit, quoniam viderat, cunctos hos vel negligentius vel imprudentius tractasse illam legem, per quam necessitas, eaque maxime logica, in cunctis sancita est una veri et certi causa[1]).

II.

Habes formam eius vel theologiae vel philosophiae, quam Hermesii tum professio generatim significavit tum disputatio singulatim explicabit. Ac primum quidem illa rerum ex historico genere ad theologiam necessariarum praeparatio, in qua explicandâ positiva introductio versatur, theologiae notionem posuit haud satis congruam

1) Propugnanda est arx christianae et catholicae fidei adversus eruditos huius vel contemtores vel corruptores, qui vel scepticorum criticorumque doctam ignorantiam vel dogmaticorum mysticorumque indoctam scientiam praetendunt. Satius est, in ipsa hostium castra se coniecisse, quam ignavum inter aras et focos desidentem et aras et focos deseruisse. — Ex philosophis plerique in hoc uno inter sese consenserunt, ut libidinem vitia theologiae crepandi iactitarent. Arbitrabantur enim, theologiam principiorum veri expertem esse, nullius generis philosophandi vim sustinere, ergo habere, cur aut suis fortunis desperaret aut tandem desineret servitutis conditionem recusare. Scilicet ipsi illi interpretes mentis humanae ac philosophiae, cuncta suo imperio continentis, egregie rem gesserunt. Sceptici criticique contenderunt, in affirmando oportere reperiri tantum demonstrationis robur, quantum in negando efficere ipsi non potuerunt. Dogmatice philosophantes de naturâ rerum, vel mentis vel phantasiae vim non coërcuerunt illâ lege iudicandi commentorum veritatem ex commentorum necessitate. Mystici, si qua forte vel sensuum vel phantasiae vel animi impulsio fuerat oblata, scientiam ac visum venditabant; laboris autem in cogitando consumti et studii in cognoscendo collocati vanitatem comminiscebantur. — Ex theologis quoque, iisque prudentioribus, plurimi imprudenter causam theologiae egerunt. Aestheticum quoddam de divinis rebus existimandi dicendique genus visum fuit supplere ac compensare demonstrationem veri. Hinc quasi pingebant praesentiorem rerum imaginem, et hanc rerum imitationem pulcerrimis coloribus distinguebant. Est vero illud docendi genus a veri investigatione prorsus alienum. Male opinati sunt, divinam dignitatem et sanctitatem personae et praeceptionis Christi multum valere ad fidem huic faciendam.

cum iis, quibus nos Christus ad divinas res instituit[2]). Rivulos consectari, fontes rerum non videre, in quavis re tardi ingenii est, in christianâ re etiam temeritatis est. Catholici, quibuscum Hermesius in hoc se consentire professus est, in articulis fidei habent etiam modum, quo post Scripturam sincera res Christi ab hoc ad posteros propagata sit ac propagetur. Quibus autem hominibus per Spiritus Christi dotem universa causa et theologia christiana atque adeo Magisterii auctoritas fuerit commissa, huius rei iudicium ante tridentina tempora plerumque penes τοὺς πολλοὺς esse visum fuit. Horum suffragiis probati, iique soli ex universitate doctorum selecti, referebantur in patrum conscriptorum reipublicae christianae tabulas, in theologorum qui auctoritate in ecclesiâ pollerent canonem sacrum. Posita igitur denique in hoc fuit sinceritatis traditorum existimatio ac fidei christianae ratio, quod Christi esset moderamen ecclesiae. Cerni autem hoc moderamen crediderunt maxime in eo, quod in plerisque nomen apud ecclesiam professis conservaverit ac conservet Christus conscientiam eius, quod verum et ab ipso olim profectum esset. Consentaneum fuit, in hac eâdem collocatam haberi omnem Traditionis et Magisterii auctoritatem. — Evangelici vero dissentiunt vel a catholicis vel inter semetipsos de modo, quo Christus suam et ecclesiae rem gerat. Varius enim potest esse modus, quo hic ecclesiam gubernat et posteritatem temporum fingit; maxime is, quo illam veri a se primo propositi conscientiam in animis conservat. Christus enim, quibus hominibus et quo cuique modo et qua per temporum vicis-

---

1) Unâ disputatione complectendum censui eum locum, quem tribuit Hermesius vel Traditioni vel Magisterio in fontibus rerum Christi. Si quidem de fontibus disputatio est, unius fontis ratione Traditio et Magisterium continentur. Refragatur exili huic distinctioni natura rei historiarumque auctoritas. Hermesius quidem dixit, Magisterio a primordiis commissam fuisse non curam aut potestatem novis augendi tradita, sed custodiam et interpretationem traditorum. Verum Magistri ecclesiae continuo exstiterunt interpretes illius quasi „publici Spiritus", qui rempublicam sacram moderari credebatur exacto „Spiritu privato." A quibus aliis praeter eosdem Traditionem profectam fuisse suspicemur, non reperio.

situdinem varietate τὸ πνεῦμα largiturus esset, hoc generatim a nemine constitui voluit, sed per vim et efficacitatem τοῦ πνεύματος in singulis esse manifestum. Ἕκαστος βλεπέτω, πῶς ἐποικοδομεῖ: 1 Cor. 3, 8—15. Alia, sed ab h. l. aliena est ratio eius, quod ferat publica sacrorum communio atque constitutio.

In catholicam autem et ecclesiae consentaneam theologiam minime scripsit Hermesius introductionem. Fefellerat eum illa principiorum cognoscendi et cognoscentium principiorum distinctio. In his cum humanae menti dedit cognitionem auctoritatis illorum, professus est rationalem supranaturalismum. Ecclesia hunc eundem propter illa cognoscendi principia, maxime propter Traditionem et Magisterium, ante tridentinam aetatem aegre ferebat, posthac exclusit. Ante istud concilium hoc unum nefas erat, tolli corrigive antiqua novis, placere haec quin essent aut consentanea illis aut ex iisdem derivata. Post illud vero absoluta fuit dogmatica pars rei ab Magisterio gerendae. Proinde Magistri cum Pontifice sederunt non iudices et arbitri perficiendae, sed custodes perfectae interpretationis rerum Christi. Hi, ut maxime alienâ, tridentini Magisterii ac Papae, atque ut minime suâ auctoritate movebantur, ita maxime probati reipublicae fuerunt. — Hermesius vero in philos. introd. hoc efficere voluit, ut appareret: esse vera etiam per se et ex humanae mentis iudicio, quae iam pridem fuerant vera per ecclesiam et ex Magisterii divino arbitrio; atque adeo oportere hoc arbitrium per illud iudicium corroborari. Itaque cum se applicuit ad scribendum illum librum, excusserat servitutem ecclesiae, desierat esse in catholicorum universitate. In singulis, quae scripsit, sive probum sive improbum ecclesiae servum se gessit, perinde est. Gessit vero sese passim improbum. Patrum et scholasticorum theologorum, quos monet frequentes in philosophiâ fuisse, vel innocentia certior erat vel innocentior aetas, aut eadem fuit quae Hermesii fortuna.

Sed philosophandi ratio hermesiana is locus est, in quo uno explicatius tractando mea haec disputatio versabitur. Virum inter paucos egregium eximius pietatis ardor compulit ad philosophorum et dogmatice quidem

philosophantium ambigua castra. In unius scholae mancipiis neque voluit ille haberi neque est habendus. Modus philosophandi refert illum potius, quem post Cartesium Wolfius, quam eum, quem Kantus fuit secutus. Logicam necessariorum demonstrationem affectavit. Minime vero monstravit, eiusmodi *κριτήριον* veri a se inventum esse, quod tum philosophiae tum theologiae principium et exitum atque adeo temporum universitatem suâ auctoritate complecteretur. Et humano animo et christianae institutioni nativa insidet vis et potestas magis ethicae quam logicae necessitatis. In Hermesio autem fuit imprudentior quaedam huius admiratio, illius contemtio.

PHILOSOPHIAE HERMESIANAE
EXPLICATIO ET EXISTIMATIO.

I. PRIMA PARS.

DE RATIONE VEL SUFFRAGANDI VEL ARBITRANDI, THEORETICAE ET PRACTICAE PHILOSOPHIAE PRINCIPIO.

A. Prior quaestio: de suffragandi ratione.

§. 4.

In rerum cognitione, quae scientiam et quasi mediatam necessitatem afferat, non sita est ratio idonea ad suffragandum[1]).

I.

Recte, qui vel critice vel sceptice philosophabantur, praeceperunt, non posse in hominibus esse eam rerum cognitionem et scientiam, quae aut obiectivam aut subjectivam suffragandi necessitatem afferret. Primum nequit esse ea rerum cognitio, quae monstret suam in rebus obiectis sitam necessitatem. Nam in quocunque mentis usu duo sunt quae discernantur, res obiectae menti et mens ipsa. Malum id, quod hinc nascitur, auferri non potest. Non ostenderis enim, idem esse, quod in rebus est et quod in mente de rebus est (Obiectivum et Subiectivum). Nec causam mali auferre potes. Unus enim res cogitandi modus is est, quo mens, quae cogitat, et res, quae cogitatur, (Subiectum et Obiectum), nequeunt cogitando tanquam in se invicem transferri atque adeo idem esse. Deinde ea nequit rerum esse cognitio, quae monstret suam in mente sitam necessitatem. Nam indagatio causae, ex qua fiat, ut mens non possit formas rerum non pro ipsis rebus habere, potest in infinitum proferri, non ad exitum perduci. Quaevis enim cogitatio causae comprehenditur non se ipsâ, sed alterâ quadam cogitatione, cuius eiusdem sua quaedam causa eodem modo indaganda

1) *Hermes.* l. c. p. 98 — 141.

est. Sic continuo ad unum illud mens revolvitur, ut in suâ conscientiâ sui simpliciter obviam deprehendat illam necessitatem.

Perperam vero illi philosophi fundamentum theoreticae philosophiae et theologiae sublatâ rerum scientiâ evertisse sibi videbantur. Aliquam ad suffragandum idoneam rationem flagitat cum humana natura tum christiana religio. Quae ea sit, de hoc deinceps. Illa unius rationis suffragandi vanitas non arguit vanitatem alius cuiusque rationis. Arguit vero vanitatem eius potestatis, quâ critica scepticaque philosophia visa fuit ad theologiae imbecillitatem vel monstrandam vel compensandam valere. Ista enim philosophia posita tota est in illâ, quae non affert certam veri intelligentiam, subiectivâ necessitate. Testis est mathematica ars, quae eadem nequit ultra hanc necessitatem efferri. Discernitur ista ars ab aliâ quavis arte per unam hanc virtutem, quod non versatur nisi in huiusmodi notionibus tractandis, quas mens secum solâ informavit, et quarum argumenta ex uno hoc sensibus subiecto genere rerum sunt. Hinc singulae quidem notiones omnes obiectivam ferunt necessitatem. Structuram autem earum esse eandem atque rerum, hoc non monstrat mathesis. Cogitari non posse aliam, hoc unum monstrat.

II.

Hermesius sententiam de criticae philosophiae et matheseos potestate latam non recte ad suam rem applicuit.

Adversus illam dogmatice philosophandi rationem, quae rerum scientiam non solum affectat sed etiam arrogat, levius quam par erat, sed prudenter disputavit. Neque adversus criticos scepticosque illud inepte monuit, superesse ulteriorem humanae mentis ac reliquarum rerum cognitionem, quae investiget veritatem rerum sub specie rerum delitescentem. Temere vero, criticos contra dogmaticos vel philosophos vel theologos auctoritate valere, propterea negavit, quod ipsi iisdem subiectivae necessitatis finibus coërcerentur. Dixerunt enim illi contra dogmaticos inducti rationibus logicis et quasi negativis;

arbitrati igitur, commenta eorum vel pugnare cum sanâ mente, vel ultra id contendisse, quod subiectiva necessitas ferret.

De eo autem loco, in quo Herm. noster adversus mathesin disputavit, quanquam is in re admodum manifestâ versatur, explicatius dicendum est. Pertinuit enim hic locus ad universam illius rationem philosophandi. Ubi quidem ita versaris in mathesi, ut a rebus eam separaveris, in naturâ et in structurâ notionum aeque non est, quo discernatur necessitas aut subiectiva aut obiectiva. Nam mens ex se solâ repetiit et notiones, quas tanquam materiam cogitanti sibi obiiceret, et structuram earum, quam quasi formam adderet rei obiectae. Constructio autem notionum non est nisi explicatio earundem. Nam rationes legesque construendi notiones in notionibus ipsis sitae sunt. Hinc discrepare non potest figura rei a re obiectâ, sed integram hanc refert. Quae cogitantur, ea cum illis, quae obiecta erant cogitanti, analyticâ ratione continentur. Ubi autem ad res sensibus subiectas applicavisti mathematicam cogitationem, in hac atque in philosophicâ aeque est, quo discernatur subiectiva necessitas ab obiectivâ. Res ita obiectae menti sunt, ut haec ipsa iudicet, res extra ipsam esse, in ipsâ non esse nisi formas rerum. Obiectivam formarum necessitatem, per quam hae sint ipsarum rerum obiectarum formae, monstrare neque mathesis potest. Non afferet haec testem suorum praeceptorum nisi naturae mentis sensuumque auctoritatem.

Fides vero subiectivae huius necessitatis longe maior est in mathematicis quam in philosophicis. Hanc mathematicae artis virtutem Hermesius plane praetermisit. Hinc neque illud ostendit, philosophicae suae theologicorum demonstrationis auctoritatem non esse multo deteriorem auctoritate mathematicae demonstrationis. Causa vero istius mathematicorum virtutis indaganda est; quo appareat, philosophicorum et theologicorum naturam eam esse, quae imitationem et affectationem mathematicae virtutis nec flagitet nec ferat.

Sita autem est causa virtutis mathematicorum in simplicitate eius, quod unum his propositum est. Structura

rerum sensibus patentium, quam habent propositam sibi, cernitur in solâ earundem magnitudine et multitudine, in unâ igitur ex categoriis rerum, et in eâ, quae a sensuum usu et testimonio proxime omnium abest. Modi propositae rei, qui existunt in huius ἀναλύσει, numero ut sint infinito, ita tamen suis quisque finibus distributi descriptique sunt, ut contradictoriâ ratione a se invicem distineantur et quasi excludantur. Discrepantia physicorum corporum omnium et geometricorum tam exigua est, ut usum nullius legis impediat. Usu tam expedito non efficitur quidem, augetur vero auctoritas geometricae legumlationis. Nam accessit comprobatio etiam ea, quae si abesset, non deesset. — Longe magis impedita est quaestio de iis rebus, ad quas philosophia non potest non pertinere. Hae complectuntur tum genus illud rerum utrumque, quod vel sensibus vel menti patere dicitur, tum categorias rerum cunctas, quas cogitando assequi possis. Modos, quibus, sive per naturam sive per cultum, sive per necessitatem sive per libertatem, vel singulae sunt vel unum efficiunt, eaedem istae res magis significant quam produnt. Nam saepenumero ac pleramque invicem distinentur contrariâ potius quam contradictoriâ ratione; continentur autem finibus ambiguis ac variis potius quam positis in sempiternum. Ex his intelligitur, simplicitatem ac tenuitatem rei a mathematicis susceptae, amplitudinem ac magnitudinem rei philosophis propositae principem locum tenere in causis illius mathematicorum virtutis.

Eandem virtutem a d p h i l o s o p h i c a t r a n s f e r e n d i ratio duplex fuit. Ubicunque rata habebatur generis rerum mathematicarum et philosophicarum diversitas, exilis fuit modi, quo res tractarentur, translatio; ea quidem, quam sustineret diversa natura quantitatis et qualitatis ceterarumque categoriarum. Ea autem, quae sola, integrum mathematice res tractandi modum complexa, recte dicatur translatio, unâ hac ratione fieri potest, ut censueris, diversitatem quantitatis et qualitatis in ipsâ rerum naturâ et constructione non reperiri. Herbartus sic censuit, dicens res, quae esse dicantur, monadum congredientium et digredientium coagmentationes, atque mutationem, qua fieri

aliquid dicatur, figurae ex monadum complexione oriundae vicissitudinem. Comperta vero minime est fides huiusce coniecturae. Ipso Herbarto iudice natarum nascentiumque rerum exigua nostra cognitio est. Hinc magis etiam ambiguus esse videtur modus nascendi.

Sed mihi hoc unum fuit propositum, ut causa illius virtutis mathematicorum ipsa ostenderet: philosophiam non habere, cur suam sortem deploraret aut de suis rebus desperaret; Hermesium autem oportuisse susceptam adversus mathematicos defensionem philosophicae theologicorum praeparationis continere in causâ virtutis mathematicorum explicandâ.

§. 5.

Neque in simplici mentis conscientiâ sui, quae intuitum rerum et quasi immediatam necessitatem afferat, sita est ratio idonea ad suffragandum[1].

Hermesius sententiam, quam hac de re denique dixit, collocatam maxime habuit in intellectus et mentis differentiâ. In tractandâ hac quaestione, quae de distinctione facultatum animi humani mota fuit, plerique ita versati sunt, ut disputationem magis in appellatione rei continere quam ad rem ipsam transferre viderentur. Si in hoc non consenserint, quid intersit inter facultatem et modum agendi, caprinam lanam adversis manibus tractabunt. Eae quidem rationes, quibus inducti plurimi, et in his Hermesius noster, censuerunt duas facultates in intellectu et in mente cerni, ferunt modorum agendi, non facultatum diversitatem.

Prior quaedam ratio visa huic fuit reperiri in ortu, in quo discrepet illarum cogitandi facultatum actio. Induci perhibetur intellectus ad cogitandam rerum necessitatem ab ipsis sensibus, formas rerum obiicientibus; mens vero ad cogitandam causarum necessitatem ab intellectu, notiones rerum offerente. Apparet, rationem discernendi

1) *Hermes.* l. c. pag. 141—181. Hoc in loco complexus sum aestimationem cum explicatione.

in eo sitam dici, quod maior sit dignitas in cogitando causas rerum quam in cogitando res ipsas. Nulla vero est haec dignitatis praestantia. Aequalis est tum gravitas tum difficultas utriusque rei ab animo susceptae. De quo non est cur distinctius dicatur. Sin diceres naturam dignitatemve mentis impedire, quin haec a sensibus ad cogitandum commoveretur, peteres principium quaestionis ex eiusdem exitu.

Altera quaedam ratio visa fuit inesse in modi eius, quo suam quaeque animi facultas rem gerat, diversitate. Nulla vero haec est diversitas. Intellectus notionem *τοῦ εἶναι*, quam non accepit a sensibus unâ cum rerum figuris, eodem modo his adiungit, quo mens dicitur causam adiungere rebus. Suâ enim auctoritate atque adeo sic adiungit istam notionem, ut eandem ipsam censeat esse causam, per quam possit fieri, ut res obiiciantur a sensibus[1]). Mens autem dicitur quidem sola posse in suâ re gerendâ sensuum usu carere, proprio arbitratu et motu agere, atque ipsâ hac idearum facultate ab intellectu distingui. Sed in ipso usu mentis, in quo uno haec potest cognosci, nunquam prodit nisi mentis et sensuum connexio. Non liquet igitur, num possit mens unquam agere plane nullâ ac ne prius quidem adscitâ sensuum ope. Ac si passim potest, nihil impedit, quo minus una quaedam mentis animique facultas ita a naturâ comparata esse iudicetur, ut possit plerumque contineri cum sensibus, quandoque se eximere ab horum potestate. Sic, quemadmodum Plato fecit, de mente existimare, consentaneum est illi in universâ rerum naturâ inscriptae legi. Illam dico, qua par est unam animi facultatem haberi propterea, quod necesse non est haberi plures.

De ipsâ re propositâ sic fere Noster exposuit. Est menti a naturâ insita lex quaedam, per hanc indita (angethan) necessitas quaedam. Haec cogit, illa iubet eam non tantum cogitare, sed etiam esse iudicare causam

---

1) Nostri dixerint: dem Verstande ist das Sein der gedachte Grund des Scheins, wie der Schein der sinnlich wahrgenommene Grund für das Denken des Seins.

aliquam rei cuiusque. Hanc mentis naturam prodit quidem immediata mentis conscientia sui. Simpliciter autem huic suffragari nefas est. Male, qui a realismo nomen nacti sunt, ipsam immediatam conscientiam ac necessitatem habuerunt pro principio veri. Hypothetica est auctoritas eius. Quod fert conscientia nullo quasi medio interiecto, id comprobandum est interiecto aliquo. Dico vim mentis ad examinandum illud reflexae comprobantem. Vicissim, qui velut Kantus Fichtiusque idealismo dediti erant, temere arbitrati sunt, immediatâ hominis conscientiâ sui nihil praeter cogitandi modum quendam, atque immediatâ necessitate non aliam praeter cogitandi necessitatem significari. Discerni fas erat intellectum et mentem, cogitationem et perspicientiam. Intellectus quidem non potest nisi cogitare, h. e. notionibus comprehendere id, quod conscientia suppeditavit. Mens vero, ad hoc reflexa, potest hoc etiam verum habere, si quidem causam invenit necessario iudicandi, id vere esse[1]).

Sed haec quaestio, quae de realismo et idealismo mota satis late patet, haud magnâ cum subtilitate ab Hermesio tractata est, atque cum eo loco, in quo hic de probatâ sibi ratione suffragandi disseruit, continetur. Recte simplicem illam mentis conscientiam sui exuit nativâ dignitate rationis suffragandi. Adipisci autem num illa possit hanc dignitatem reflexâ ad examinandam conscientiam mente, num igitur mens possit suae aut comprobationis aut reprobationis necessitatem in examinando eo, quod immediata conscientia tulerit, monstrare, de hoc deinceps dicendum est. Apparebit, tribuisse illum menti ad examinandum reflexae potestatem rationis ad suffragandum idoneae, itaque in hoc etiam loco a Kanto discessisse. Hunc enim censuit de intellectu quidem recte, inique vero de mente iudicasse. Itaque in istâ duarum animi facultatum confusione praecipuam idealismi kantiani cau-

1) Nostri dixerint: das Zeichen der Wahrheit ist die Nothwendigkeit; und das Zeichen der Nothwendigkeit ist die Unwiderruflichkeit des Fürwahr- und Wirklichhaltens der Vernunft auch noch in der Reflexion auf den Sach-Inhalt ihres unvermittelten Bewusstseins.

sam ac praecipuum Kanti errorem collocavit. Ego vero in distinctione earundem et in mentis admiratione collocaverim non minimum ex erroribus Hermesii. Comprobationem huiusce sententiae ab ipso illo, in quem dicta est, in se susceptam videbis.

§. 6.

Conclusio quaestionis.

I.

Idonea ad suffragandum ratio est necessitas alicuius primi veri, quam mens etiam reflexa ad suam conscientiam sui comprobavit.

Unus hic residuus est modus, quo mens etiam ad explorandam conscientiam sui reflexa recte possit rem hac proditam ac deinceps alias res certo habere veras. Necesse enim est, quo omnino agere mens possit, huic ante reflexionem oblatum et quasi datum esse, quod ita sit verum, ut sustineat vim reflexionis et explorationis. Huiusmodi est: necessitas aliquid habendi verum.

Virtus huiusce rei, quae menti consciae sui ac sese exploranti continuo obvia est, primum cernitur in fide eius quantum omnino potest fieri certissimâ. Uberius quidem haec probabitur, cum singulatim explicabuntur singulae res ipsae, quae sint in unâ illâ sitae et hinc virtutis eiusdem participes. Attamen etiam generatim dixisse satis est. Comprobat mens illam rem, ubi ad eam se reflexit, suffragio suo, inducta per vim causae prorsus invictam. Videt enim aeque teneri sese illâ necessitate aliquid verum habendi, sive ad veritatem sive ad vanitatem eius demonstrandam se applicuit. Nam qua ratione mens monstraret, veritati illius deesse eam, quae ex solâ demonstratione oritura esset, auctoritatem, ei ipsi rationi haec auctoritas non posset non deesse. Qua autem ratione vanitatem illius monstraret, in eam ipsam rationem caderet aeque iusta eiusdem vanitatis suspicio. Utrâque enim ratione mens repeteret eius rei usum, cuius usum abolendum suscepisset; dico usum illius necessitatis aliquid verum habendi. Mens igitur, etiam ad examinandam suam conscientiam sui reflexa, ita cernit inditam sibi a naturâ necessitatem aliquid

habendi verum, adeoque certam cernit hanc rem a naturâ datam, ut abolere eam nequeat, sed primi veri locum ei tribuere cogatur.

Deinde conspicitur virtus huiusce rei in usu eiusdem ad suffragandum et ad verum inveniendum applicato. Illa suffragandi necessitas, quam afferri vidimus vel a rerum cognitione vel a simplici mentis conscientiâ sui, unum hoc efficit, ut possis quiddam, possis vero etiam aliud ab hoc diversum eo loco habere, ut sit verum. Omnino non significat nisi eos fines, intra quos possit homo contineri et moveri. Hinc ex solâ illâ minime prodit certa veri inventio. Haec vero, quam paulo ante dicebamus, necessitas aliquid verum habendi efficit, ut, quidquid fert, quamvis hoc per se ipsum possit secus se habere, abs te tamen non possit secus haberi, non possit haberi non verum. Omnino eos fines significat, intra quos homo vere continetur et movetur[1]). Est igitur sedes et principium veri. Mens ab hoc exordiens et ad hoc continuo se reflectens prosequitur universum veri ex primo hoc vero nexi tenorem. Sic tandem potest principe illâ logicâ lege, quae suam cuique rei causam subiectam censeri iubet, recte uti, nectere alterum ex altero et singula vera ex uno vero derivare. Cuncta enim illa et cum hoc et inter se eâdem necessitate tanquam uno quodam et indissolubili vinculo constricta tenentur. Atque etiam ceteras omnes cogitandi leges et ipsam rerum cognitionem ad inveniendum vera recte adhibere potest. Habet enim normam cogitando et cognoscendo positam, qua cautum est ne accidat, ut ipsa aut non possit aut non velit assequi verum. Nam qui et necessitate habendi verum et solâ hac ducitur in cogitando et cognoscendo, is neque sectatur neque videtur sibi assecutus esse nisi ea, quae necessario vera habenda sunt, quoniam referunt suâ naturâ illam menti inditam necessitatem.

---

1) Sie gibt dem Menschen zugleich seine Wirklichkeit und seine Gewissheit von derselben.

II.

In priore, quam Hermesius suo philosophandi principio tribuit, virtute non magnopere habuerit quod reprehendat, nisi qui sceptice dicendi studio et admiratione tenetur. Oportet mentem, quod ante Fichtium prudentissimus quisque ex dogmaticis viderat, exordiri in philosophando a necessitate alicuius veri et tanquam a primo quodam vero, cuius rei a naturâ positae et quasi datae nec veritas debeat nec vanitas possit monstrari.

In alterâ huius principii virtute illud dubitationem non habet, minus recte Hermesium illam necessitatem, quum non dixisset ethicam, nec simpliciter logicam dici voluisse. Necessarium cogitare aliquid et verum habere aliquid non ita inter se differunt, ut, ubi cogites, in notione rei contineas necessitatem, ubi verum habeas, hanc a notione ad ipsam etiam rem transferas. Anselmus, ut hoc utar, si monstravisset necessitatem cogitandi illam Supremi notionem, quae τὸ εἶναι in se complecteretur, non habuisset cur monstraret necessitatem etiam verum habendi istam notionem, h. e. iudicandi, esse Supremum. Quidquid necessarium cogitas, sic igitur cogitas ut necessario id cogitandum iudicaveris, idem habes etiam verum h. e. esse iudicas. In necessariorum cogitatione non potes rem cum notione non complecti. Secus si feceris, tecum pugnabis, non cogitabis. Dices enim, idem tibi et necessarium et non necessarium videri, idem tibi et necessario esse et non necessario esse videri. Quae necessaria cogitantur h. e. ponuntur iudicio mentis, ea ab illis, quae non necessaria cogitantur h. e. finguntur arbitrio phantasiae, secerni nequeunt nisi ipso hoc, quod esse iudicantur, vera habentur. Atqui Hermesius illam ab immediatâ mentis conscientiâ sui oblatam necessitatem non in ethicâ, sed in logicâ et theoreticâ hominis naturâ collocatam habuit. Ac modum singula vera ex uno vero derivandi logicâ huius et illorum connexione, in nullo fere ethico illorum usu comprobari voluit. Non recte igitur visus sibi fuit aliam proposuisse necessitatem praeter vulgarem illam logicam necessitatem. Oportere arbitrariam cogitationem arceri a philosophando, hoc totum versari in cogitando

necessaria, hoc unum praecepit Hermesius. Praecepit autem, latus pio quidem, sed caeco desiderio eodem, quo qui ante eum in logicâ cuiusque veri demonstratione collocatam habebant omnem rationem philosophandi.

Inane quidem aut temerarium non recte dixerint sive dogmatici sive sceptici istud veri principium hermesianum. Naturam principii, a quo in philosophando exordiaris, magis ille perspectam habuit quam plurimi ex dogmaticis ante eum. Providit, ne in ipso introitu philosophiae aut intercluderet aut perverteret viam, qua pergendum esset. Cavit, ne ipsum principium, sententiâ quâdam de rebus ullius generis dictâ, rationem ac fontem veritatis complecti videretur. Situm in illo unum hoc est: humanam mentem, quo secum consistat, oportere fidem tribuere suae conscientiae sui; quae ferat necessitatem iudicandi, subesse aliquid ei, quod videatur esse, idemque non esse a cognitione mentis alienum. Docet idem illud principium: scepticos pugnare cum naturâ humanâ, cum necessitatem alicuius veri sustulerint; dogmaticos hoc naturae testimonio et eâ, quam haec ferat, necessitate abuti, cum etiam non necessaria ex hoc necessariorum fonte derivent. Est illud universae, non hermesianae potissimum philosophiae principium. Haec suâ ipsius explicatione comprobanda est; eo igitur, ut ex ipsâ explicatione manifestum sit, singulas explicatas particulas referre principii naturam, necessitatem. Ac ne modus quidem explicandi est illo principio aut comprehensus aut significatus. Poterat enim illa aliquid verum habendi necessitas vel ad logicam vel ad ethicam vel ad utramque hanc naturae humanae rationem et conditionem aeque referri.

Itaque continenda est haec nostra disputatio, non reprobato ipso principio philosophandi hermesiano, in unâ hac, quae est de usu eius, quaestione: num recte ad logicam potissimum naturam hominis relata sit illa necessitas; num recte tributa menti facultas logice monstrandi singula ea, ad quae pertineat illa necessitas alicuius veri. Qua de re iudicium ferri par est ex ipso usu illius logicae philosophandi rationis ad res quasdam praecipuas applicatae. Uno enim hoc modo quodvis princi-

pium ac quaevis ratio philosophandi potest comprobari. Prius autem, quem locum ethicis in re vel philosophicâ vel theologicâ Hermesius tribuerit, videndum est.

B. Primae partis posterior quaestio: de arbitrandi ratione.

§. 7.

De universi generis ethicorum naturâ[1]).

Versatur hic locus in inveniendo fonte et ortu ethicae necessitatis ipsius; in qua necessitate natura et disciplina ethicorum consistit. Ac fontem quidem Hermesius dixit solam mentem modos agendi imperantem; corporis sensuumque rationem ex fontis ethicorum cognitione exclusit. Secutus in hoc fuit, quam quidem finxerat, diversitatem naturae mentis et sensuum; conspicuam illam in ratione eâ, qua cum rebus vel mens vel sensus continerentur. Natura, inquit, sensuum et mentis fert, ut huius sit et illorum non sit, necessarios fines bonorum propositos habere et hinc leges agendi hominibus ferre. Sensus enim, prorsus destituti facultate cognoscendi rerum veritatem, non possunt cognitâ harum naturâ et dignitate aut moveri ad cupiendum eas aut uti ad capessendam suae concupiscentiae auctoritatem. Caeco fortuitoque impetu feruntur, quemadmodum vi fortuitâ rerum feriuntur. Mens vero, praedita facultate cognoscendi verum, ex cognitis a se rebus repetit et fines bonorum proponendos et auctoritatem propositorum. Atque adeo ipsam mentem uno hoc nomine, quod imperat modos agendi, fontem necessitatis ethicae dici fas est. Quam iactant aut „moralem“ aut „practicam rationem,“ ea non fert nisi aut sapientiam aut prudentiam.

Non viderat Hermesius, fontis ethicorum cognitionem complecti totam hominis naturam. Ipsa ethica non in honesto continenda sunt, sed illo loco, in quo latius patent ad universam hominis voluntatem, habenda. Neque secus foret, si esset sita in rerum cognitione omnis ethicorum ratio. Sensus non ipsi quidem res cognoscunt; hinc

---

1) *Hermes.* l. c. pag. 199 — 212.

cognitione rerum neque ducuntur neque auctoritatem capessunt. Anima vero, quae seiungi a corpore nullo pacto potest, per corporis particulas vim rerum sentit. Nec potest proditam hac vi naturam et dignitatem rerum plane praetermittere in fine eo, quem sibimetipsi proponat. Valet in fingendo homine praeter τὸ πνεῦμα etiam ὁ ἄλλος νόμος ὁ ἐν ἀνθρώπῳ. Auctoritas autem quae sit aut mentis aut sensuum in cognoscendo aestimandoque eam, quae ad hominem pertineat, rerum naturam et dignitatem, hoc prorsus non potest dici, si separatim quaeritur de sensibus et de mente. Ex hac ipsâ separatione factum est, ut sensibus tributa sit auctoritas aut plane nullà praeter mentem, aut non minor atque adeo maior quam menti. Quo utroque contra naturam hominis facto, sublata fuit ethicorum in fingendo homine aut necessitas aut potestas. In hac utrâque autem cernitur natura ethicorum. Ergo fons horum situs est in mentis ac sensuum connexione.

Eadem ista totius hominis, ut ita dicam, neglectio ad ortus ethicorum existimationem pertinuit. Ortum dico eum modum, quo necessitas ethicorum in hominis conscientiam sui prodeat, ethice ipsa ad illam accommodate conformetur, de rebus ex ethicis causis arbitrandi ratio ex utrâque istâ nascatur. Hermesius admodum paucis visus sibi fuit totam rem complexus esse. Docuit, mentem per hominis conscientiam sui prodere sese cum imperio in hominem missam; eandemque robur addere huic legis auctoritati, necessitatem igitur ethicam afferre et officii rationem proponere hoc uno, quod indixerit et indicat homini aut praemium aut poenam, aut comprobationem aut improbationem sui [1].

1) Levius ille hunc locum tractavit, quam ferebat eorum, qui dissenserunt, vel imbecillitas et ignavia in cogitando, vel perversitas et nequitia sentiendi, vel auctoritas et gratia apud plurimos; levius etiam, quam ferebat ipsa ea, quae est, hominis natura. Sane adaucta est apud eos, qui practicas res et sensuum res cum ethicis rebus coniunxerunt, difficultas arcendi ab harum sanctitate et integritate prudentiae et felicitatis ambiguitatem et levitatem. Verum minus etiam ferenda est illa aesthetica quaedam de moribus praecipiendi ratio. Ea exegit ex ethicorum finibus imperatricis mentis

Non potui ego equidem, quae erat rei propositae ratio, gravitatem et amplitudinem universae huius quaestionis tractatione imitari et assequi. Sed nefas esse dixeram, ab Hermesio totum hunc locum paene praetermissum fuisse. Inprimis neglexit ille ethicarum et ceterarum humanarum rerum inter se connexionem; hinc eam, quam haec flagitat, modorum de ethicis praecipiendi varietatem, atque adeo modi eius, quo ethica in hominibus prodeunt, diversitatem.

De hac igitur sic existimo. Tribus notionibus, aut officii aut boni aut placiti, illud quo homines in agendo sive debeant duci sive ducantur, comprehendi consuevit. Ad duas vero redigi par est tres has ethicas notiones. Recte discernuntur officium et bonum. Alterum ab hoc appellatur, quod homo, si quam rem aut videt aut putat non toti suae naturae ei, quae est, aequali modo convenire, alieno quodam impulsu permovendus est. Alterum ab hoc, quod ad rem, quae ipsi ei videtur consentanea esse naturae, ultro contendit. Placitum autem a bono non discernitur nisi, ut breviter dixerim, quemadmodum discernitur res in homine cogitante et iudicante sita ab re obiectâ homini. Placere aut displicere sive menti sive sensibus, est videri esse et haberi bonum aut malum. — Maius autem illud est, quod ab antiquo tempore de hoc quaesiverunt, in utrâ ex illis notionibus maior ampliorque esse censenda sit virtutis et usus praestantia. Hermesius recte illam quasi nobiliorem volendi agendique formam, quae in placito sive bono conspicitur, habuit non prorsus alienam quidem ab humanâ naturâ, neque vero solam et quoquo modo ei convenientem. Quicunque maluerunt aut velut Kantus in officii aut velut Herbartus in placiti notione et formâ universam de moribus praecipiendi rationem continere quam utramque illam in hac complecti, ii nec naturam nec conditionem hominum eam, quae est, secuti fuisse videntur. Minus recte unam formulam vel

---

gravitatem, scilicet vultu et habitu turpem, a pulcritudine et nobilitate humanae naturae abhorrentem. Sed nolo haec persequi. Apparet, Hermesium non debuisse, quum plurimi in unâ quadam naturae humanae parte studium continerent, in alterâ quadam unâ, quamvis omnium honestissimâ, quaestionem continere.

cunctis hominibus vel cuique animi et vitae conditioni convenientem proponi posse arbitrati sunt, ac plus tribuerunt naturae humanae, quam vita plerorumque hominum comprobavit. Complures et inprimis duo sunt loci eruditionis ethicae, in quibus vel universi homines vel singuli constituti deprehenduntur; quemadmodum fert vel ingenii diversitas vel temporis vicissitudo. Huic vel naturae vel conditioni generis humani consentaneum est, complures et maxime illas duas esse praecipiendi formas et rationes, officium et bonum. Legem et evangelium theologi dixerunt. Par autem est, ad plerorumque potius quam ad paucorum quorundam, ad praesentem magis quam ad futuram aliquam hominum vel naturam vel conditionem accommodari ethicam praeceptionem. — Quare amplior in hac locus est officii quam placiti. Si quidem ipsorum vel ethicorum vel aestheticorum naturam spectas, nihil impedit, quin illa cum his comprehendantur. Nam iudicium ab animâ aeque fertur, sive id, de quo fertur, menti sive sensibus obiectum est, et sive extra hominem situm sive ab homine gerendum gestumve est. Ac si solam mentem in homine spectas, iudicium, quo dicitur placere honestum et displicere turpe, est menti convenientissima modi, quo homo moveatur, significatio. A Christo quoque accepimus, finem eum esse propositum eruditioni hominum, ut hi amore boni et odio mali ducantur; quemadmodum ferebat, quae apud veteres Graecos fuit τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ comprehensio. Nec, si quidem de mente solâ dicis, magnopere est, cur iucundi aut iniucundi notionem ex finibus ethicorum propulses, ac notionem eius, quod placeat aut displiceat, foribus ethices tanquam custodem praeficias. — Diversissima vero fuerit ratio rei, ubi, ut par est, aeque sensibus ac mente praeditum hominem spectaveris. Causa, ob quam imbecillitas hominis multo minor sit in volendo agendoque quam in cogitando cognoscendoque, nulla reperitur in plerorumque hominum vitâ ac naturâ. Nisi forte ideae illae, quas placuit sive aestheticas sive practicas potius quam ethicas appellari, per nominis mutati illecebram et lenocinium adepturae sunt eam paene incredibilem vim et potestatem, quae in cunctis multisve mortalibus et per sin-

gula spatii vitae intervalla et in quavis rerum hominis conditione animive eius affectione facile superare possit vim et potentiam alterius ac peioris partis humanae naturae.

Hermesius autem aliam quandam modorum praecipiendi varietatem proposuit, quae ad singularem naturae conditionisve hominum differentiam accommodaretur. Praeter ea, quae prudentiae et sanctitatis sint, duo praeceptionis genera distinxit. In inferiore genere practicam mentem ad unum hoc contendere censuit, ut voluntatem moveat per probatam sibi ipsarum rerum naturam potius quam per vim earundem, conspicuam in effingendâ hominis dignitate. Sic a mente propositum appellavit consilium homini datum; virtutem eius, qui voluerit per hoc consultum sibi esse, sapientiam. In superiore genere practicam mentem etiam eo contendere censuit, ut voluntatem moveat per probatam sibi vim et efficacitatem rerum, conspicuam in augendâ minuendâve hominis dignitate. Sic a mente propositum appellavit legem cum imperio latam; virtutem eius, qui huic se subiecerit, ethicam praestantiam.

In antiquâ graduum virtutis distinctione provectior virtus praecipiebatur et commendabatur, humilior etiam imperabatur; haec longius quidem quam illa, at non omnino a dignitate humanae naturae abesse iudicabatur. Hermesianae vero distinctionis fundamentum irritum est. Nulla res a suâ vi et potestate separari potest. Ac si qua res nullo modo ad finem homini propositum valet itaque cum dignitate hominis continetur, ea non est in ethicis. Praeter modum eum, quo hominis vel dignitas vel imbecillitas aut augetur aut imminuitur, reliqua in ethicis nulla est ratio aut res aut praecepta discernendi.

§. 8.

De naturâ ethicae necessitatis arbitrandi.[1]

Illa, quae apud Hermesium est, theoreticorum admiratio et integrae totiusque naturae humanae neglectio cummaxime hunc locum corrupit. In hoc enim propositum erat ut ostenderetur, tum aliquas res esse ethicis potissi-

1) *Hermes.* l. c. pag. 212 — 244.

mum ex causis veras habendas, tum quae tandem istae essent. Alterum continebatur cum illâ quaestione, quae mota fuit de theoreticae et practicae philosophiae ac de divinarum et ethicarum rerum inter se coniunctione; alterum cum eâ, quae de amplitudine et quasi numero divinarum rerum ethicis ex causis necessariarum.

Primum obvia est exilitas eius loci, quem ille tribuit ethicae rationi in arbitrando de rebus. Maximarum quarumque rerum cognitionem dederat menti in cogitando versanti. Hinc vel generatim disputando vel exemplis allatis docuit: ethicâ necessitate theoreticam tantum suppleri; ethicam necessitatem de rebus arbitrandi esse in fortuito vitae hominum cursu obviam quidem, at non ipsi naturae humanae insitam; eandem non cum universitate officiorum, sed cum singulis tantum officiis et temporibus vitae contineri; usum eiusdem ei soli, quae nunc sit et passim sit, humanarum rerum conditioni consentaneum, hinc ex animis hominum tandem eximendum esse. Sed de hoc supra dictum est et proxime dicetur. Amplior est, quam Hermesio videbatur, locus ethicae rationis de rebus arbitrandi; maior est ethicorum omnino omnium potestas in universâ illâ re ab genere humano gerendâ, qua fiat, ut cuncti suo quisque fine potiantur, totam suam naturam cultu complectantur.

Deinde satis ambiguum proposuit Hermesius signum, quo cognoscatur, quibus singulis in causis oblata sit ethica necessitas et ratio de rebus arbitrandi. Cerni illud dicitur in hoc, quod theoreticae dubitandi rationes ibi non tollant officium et ad ethicae rationis usum non compellant, ubi positae sint in eâ rerum conditione, quae sit universi generis humani omniumque temporum et locorum; ibi vero tollant officium ethicaeque rationis necessitatem inferant, ubi positae sint in ipsâ singulari singulorum temporum naturâ, nec gravioribus aliis theoreticis rationibus elevari possint. Hoc posito criterio etiam augetur difficultas accommodandi universalem auctoritatem legis ad singularem conditionem temporum. Habes casuisticam morum disciplinam. — Neque rectius perspectam ille habuit vim ethicae arbitrandi necessitatis, cum usum eius in

uno hoc collocavit, quod ipsi humanae menti non probata sit legis ethicae auctoritas, nisi certum sit, vere esse vel exstitisse et continuo existere rerum et universitatem eam et singulas complexiones eas, quae videantur esse vel subinde existere. Imo vero, quo recte dicatur homo teneri ethicâ lege, hoc uno opus est, ut non sit certum, non posse ullo modo legem observari. Hanc unam repereris causam eius rei, quae post hominum memoriam continuo in hominibus reperta fuit. Longe plerique enim ex iis, qui vel idealismo vel scepticismo dediti erant, ausi non sunt etiam legem ethicam ex rerum naturâ auferre. Arcebat vero istos quidem minime illud, quod certum videretur, esse res, quae ferrent legis auctoritatem. Sed vel simpliciter movebat eos illa legis ethicae potestas insita naturae; vel ipsa etiam logica ratio, quae doceret, certam non esse ipsam eam de rebus existimandi rationem, quae positam in rerum veritate ethicen sustulisset.

§. 9.

Contentio facta inter potestatem vel logicae vel ethicae necessitatis, vel suffragandi vel arbitrandi [1]).

I.

Ethica quoque rei alicuius necessitas certum est veri κριτήριον, siquidem ipsa est ethice certa, si igitur intellectum est, ethicam esse necessitatem rei, rem ab imperatrice mente flagitari. Satis est esse hoc modo rem ethice certam, ac nihil refert theoreticam dubitationem aut sustulisse aut non sustulisse; cum quidem continemus nos in ethicorum finibus et in unum hoc inquirimus, quid mens imperet ut agamus et agendorum causâ de rebus arbitremur. Quidquid haec imperavit, sive verum sive falsum est, ethice certum sanctumque est, quoniam imperatum est. — Quanquam obiectiva quoque veritas ethice necessariorum non minus certa est quam logice necessariorum. Logica dubitatio haud difficilius tollitur in ethicis quam in theoreticis. Neque est cur tollatur, nisi ea est imbe-

1) *Hermes.* l. c. pag. 244 — 266.

cillitas ethicae virtutis in homine, ut hic non sublatâ dubitatione non credat, teneri se officio. Ac si quando ita est, cedat dubitandi causa officiorum sanctitati; persuasum esto homini, verum esse hoc quod cum sanctitate officii congruum sit, falsum illud quod eidem adversetur. Nam si ipsas res spectas, errori aeque obnoxia mens est, sive logicis sive ethicis causis inducta de iis quaerit. Hinc ab ipsâ theoreticâ mente haec sancita lex est, ut theoretica dubitatio in ethicis quaestionibus non minus sublata sit propositâ certâ necessitate ethicâ, quam in theoreticis sublata est remotâ dubitandi ratione.

II.

Haec logicae et ethicae necessitatis separatio atque ethica haec logicorum contemtio haud exiguam ethice veri ac certi ambiguitatem infert. Quare philosophia quidem utramque prorsus detrectat. Praecepit Hermesius: si qua dubitatio de rebus ethice necessariis ex theoreticis causis mota theoretice tolli non possit, eam practice contemnendam esse; ac ne intellectâ quidem logicâ rerum vanitate tolli intellectam harum necessitatem ethicam. Minime vero, si quae humanarum rerum invicem pugnare videntur, satis est, simpliciter appellasse aut unitatem mentis vel theoreticae vel practicae, aut principatum practicae, quae suo quodam robore imbecillitatem theoreticae superet ac compenset. Vel ethicae eruditionis hominum neglectione vel logici et ethici cultus separatione factum est, ut ethica res saepenumero commissa sit aut sensui ethico cuidam satis rudi aut logicae eruditioni satis ambiguae. Hermesius maluit hanc consectari quam in illo haerere. Verum tristissimus fuit exitus logicae eius theologiae, in qua effingendâ tantum laborem consumtum videmus. Praecepit enim ille, aequo animo ferendum ab homine esse, si viderit, quod in quibusdam rebus non possit secus esse, non solum divinam et humanam mentem inter se dissentire, verum etiam humanam mentem secum ipsâ pugnare. Par vero erat praecipi hoc fere modo: Ethica rerum necessitas, siquidem est tum a mente intellecta tum vero etiam usu vitae cognita, totam hominis naturam conditionemque vi suâ complectitur. Hinc ipsa

maiorem vim adepta non relinquit nisi unum logicae difficultatis vestigium; conspicuum illud quidem in hoc, quod videri potest homini eadem res quaedam ethice probata esse, logice tamen non probanda esse. — Nequaquam ego equidem illam mali medicinam Hermesio obtulerim, quam alii velut Herbartus nobis proiecerunt. Nolim differri, et animo quidem patienter hoc ferente, logicorum et ethicorum inter se consensionem, usque dum haec ambo, separatim tractando ea, ad suum quaeque exitum perducta sint. Nam aguntur res et universorum et singulorum hominum et maximae et praesentissimae. Verum enim vero, quod eruditioni generis humani propositum existimari debet, idem par fuit ab Hermesio suae theologicorum praeparationi propositum existimari. Dico logicorum et ethicorum inter se consensionem; efficiendam illam quidem ex continuâ utrorumque coniunctione. Atque hanc eam dico, per quam in ne minutissimâ quidem quaestionum parte cogitatio mentis ab observatione naturae connexionisque rerum et hominum seiungatur. Altera quaedam, eaque priore istâ multo etiam fortior, mali medicina sita fuerit extra fines artis et disciplinae sive theologicae sive philosophicae. Dico curam eruditionis ethicae ipsius in ipsis hominibus augendae. Modus enim ethicam rerum credendarum necessitatem vel cognoscendi vel monstrandi efficacissimus et hinc certissimus in hoc inest, ut proprio quisque usu vitae ipse cognoverit itaque intimo animo susceperit istam necessitatem. Hoc modo cognita susceptaque necessitas ethica valet invictâ vi et potestate, non tantum ad abiiciendum dubitationes, sed ad superandum etiam rationes dubitandi. Logica theoreticaque omnia emendanda augendaque sunt per emendatam ethicorum disciplinam auctumque eorundem usum. Minus vicissim ethicis provisum fuerit per comminiscendam moliendamque logicam theologiam, in qua Hermesius vitam consumsit. Ethicae res et rerum rationes propius quam logicae cum vitâ hominum et cum fine cunctis aeque proposito continentur.

Denique sub finem primae huius partis ille ita praeparavit quidem sequiores partes, ut genera-

tim significaverit, quid valeant ambo illi modi de universo veri genere cognoscendi in christianae religionis veritate cognoscendâ. Sed simpliciter appellando legis ethicae naturam et auctoritatem, non prius constitutis signis, in quibus ethica necessitas cerneretur, non potuit praecidi aut levitas aut importunitas adversariorum. Exstiterunt enim, qui, ethicas aliasve causas praetexentes, aut amplitudinem aut tenuitatem de divinis rebus dicendi laudibus celebrarent. Universâ illâ quaestione, quae est de ethicarum divinarumque rerum inter se necessitudine, ad exitum minime perductâ, non potuit videri ex ipsis rebus deinceps propositis intellectum iri, quam recte singulae hae vel ex logicâ suffragandi vel ex ethicâ arbitrandi necessitate deductae essent. Docuit autem Hermesius: in universo genere divinarum rerum, ubi quaeratur, num sit deus et num exstiterit revelatio illarum, maiorem esse logicae demonstrationis usum; in iisdem rebus a Christo ad humanam rem applicatis, ubi de naturâ dei ac de argumento revelationi subiecto quaeratur, maiorem usum esse ethicae existimationis. Atque adeo negavit magnopere esse, cur de usu eo quaeratur, qui sit necessitatis sive logicae sive ethicae in christianis rebus aestimandis. Satis est, inquit, ex iis, quae disputata sunt, intellexisse, viam ad verum certo cognoscendum praeter eam, quae per duplicem illam necessitatem aperta est, patere nullam, eandem igitur, utcunque incertam, ingrediundam esse. Hoc enim intellecto, in eo sumus loco constituti, ut certo cognituri simus, aut posse ideoque debere aut non posse ideoque nec debere sive logice suffragando sive ethice arbitrando de christianae religionis veritate cognosci.

II. SECUNDA PARS.
DE EXISTENTIA ET ESSENTIA DEI,
SUMMO MENTIS PHILOSOPHANTIS PRAECEPTO, AD THEOLOGIAM SE APPLICANTIS PRINCIPIO [1]).

1) Hermesio ex illis, quae supra disputaverat, compertum esse videbatur, mentem recte in philosophando exordiri ab hoc principio, ut crederet, a naturâ ipsâ hoc datum esse sibi, ut obviam essent non inanes rerum formae, sed eae, in quibus indagari possent ac deberent vestigia rerum. Proinde iudicabat, mentem, ad examinandum formas istas reflexam, recte illâ insitâ sibi lege duci, quae cuiusque obvii causam quandam esse censeri iuberet. Hanc ea, quae necessaria et vera sint, inveniendi rationem secutus, docuit, tum formis illis res quasdam, causas suas, subesse, tum rebus his universis supremam quandam causam praeesse.

His ipsis significatum vides exitum utriusque huius quaestionis. In transferendo cogitationem mentis a formis rerum ad res ipsas et sceptici et dogmatici vel universi invicem vel singuli secum ipsis pugnaverunt. Sceptici contra dogmaticos dogmatice, dogmatici contra se invicem sceptice praeceperunt. Sic plurimi ex utrisque re a se gestâ unum hoc quidem monstrarunt, posse secus cogitari id, quod dixerant non posse secus cogitari. Ipsae illae res, quae recte dicantur subesse his, quae videntur esse, monstrari nequeunt, quocunque tandem modo derivari dicuntur ex illâ absolutâ τοῦ εἶναι positione *). — Ex illis autem, qui, a Kanto digressi, ulterius prosecuti sunt criticam philosophandi rationem, Herbartus omnium facile prudentissime in illâ derivatione versatus esse dicatur. Modus is, quo hic res ipsas inveniri tandem posse censuit, in hoc inest, ut auferantur, quaecunque in his, quae videntur esse, appareat inter sese pugnare. Verum perfici unquam posse istum auferendi laborem, hoc nunquam poterit ostendi. Nam infinita est, quam natura humanae menti proposuit, eruditio. Hinc non potest fieri, quin succedentium temporum vicissitudo inexhaustum eorum, quae inter se pugnare videantur, fontem apertura sit. Haec ipsa enim est natura mentis, ut pugnantia invicem tractando et inter se componendo exerceatur et erudiatur; nisi quis forte novum mentis genus, prolem philosophiae exstituram, promiserit. Sin potuerit unquam ille pugnam auferendi labor perfici, effectum denique hoc unum fuerit, ut, quae videntur esse, ea videantur non invicem pugnare. — Imprudentissime vero egit Hermesius noster, qui non potuit, quemadmodum Hegelius, acumine et amplitudine ingenii ambiguam argumentationis fidem exornare. Ita se coniecit in dog-

*) Largior, satis apte dici absolute poni τὸ εἶναι, cum ei, quod videtur esse, subesse aliquid oportere simpliciter praecipitur, non ostenditur, quoniam non possit hoc ostendi. Quanquam rectius diceretur illud absolute positum, si nec prima opportunitas nec continua necessitas illud ponendi oblata esset ab eo, quod videtur esse.

A. *Secundae partis prior quaestio: de necessitate credendi, esse res et universitatem rerum.*

§. 10.

Quae res homini videntur *intra* ipsum esse, iis *unum* quiddam subesse censendum est[1]).

I.

Mens, ad suam conscientiam sui reflexa, multas res in hac obvias habet, velut actiones et affectiones atque oriundam ex his conditionem quandam suam. Quas res cum sentit in se prius praesentes et nunc praeteritas, hoc ipso compellitur, ut easdem ad unum quoddam τὸ ἐγὼ referat, sese igitur id esse cogitet, cuius sint illae. Nam compellitur ad cogitandam mutationem, quae acciderit. Hanc non potest cogitare accidisse nisi posito uno aliquo, vel cui et in quo haec acciderit vel per quod acciderit. Nequit enim mens cogitare nisi quod sit; sive hoc ita est, ut eodem in statu perstiterit, sive ita, ut alium in statum translatum sit. Nequit cogitare, simpliciter et absolute accidere; ita quidem, ut nihil aut fuerit, dum accideret, aut futurum sit, posteaquam acciderit. Neque igitur, quae intus homini obviae sunt actiones affectionesve, accidisse videri ei possunt, quin aliquid ab his diversum aut in iisdem his substiterit aut post easdem futurum sit ut subsistat.

Modus is, quo subsistat hoc unum, triplici ratione fingi potest. Unum istud si dicitur esse res quaedam per se subsistens, varietas actionum affectionumve censenda est conditionis eius, in qua eadem haec res sit, vicissitudo.

maticorum castra, ut noluerit videri criticorum signa deseruisse. Alterum illum modum res ipsas inveniendi tanquam ex mortuis evocavit. Cernitur enim ille in hoc, ut ex causali lege quasi extorqueatur rerum, quae sint, necessitas ac natura. Verum enim vero Hermesius quidem minime ostendit, non posse in infinitum fieri, ut causa eius, quod videatur esse ac non sit, ipsa videatur esse ac non sit, atque adeo in cunctis his, quae videntur esse, non prodeat nisi eius, quod ipsum videatur esse, significatio.

1) *Hermes.* l. c. pag. 267—316.

Sin dicitur istud effectum esse per actiones vel affectiones, censendum est comprehendi quidem universis hisce, differre vero a singulis iisdem, esse igitur status quidam, qui in illâ modorum suorum vicissitudine permaneat ac sit unum quiddam, quod subsistat et ad quod actionum affectionumve, tanquam modorum eius, vicissitudo referatur. Sin dicitur illud esse causa actionum vel affectionum, luculentius etiam patet, ipsum subsistere ab his diversum. In hoc ipso igitur, 'quod quaevis rerum menti intus obviarum cogitatio, quoquo modo fieri censetur, eandem unius alicuius illis subiecti formam refert, sita est necessitas iudicandi, esse huiusmodi unum. Lex causalis, quemadmodum singulis, quae videntur esse, res quasdam subesse, sic unum illud, quod continuo videtur simul cum iisdem obviam fieri, ipsum esse censeri iubet.

II.

Hermesio haud satis perspectum fuit, lege causali non potuisse se ita uti, ut unum istud, nisi esset, nec posse videri esse diceretur. Hinc arbitratus est, res etiam ipsas, si tantum viderentur uni alicui inhaerere, non inhaererent, obviam fieri non posse homini, ex eo igitur, quod essent res obviae, necessitatem effici unius. Sed aeque commentum est, sive Hermesius arbitratur, res illas, quae multae homini intus obviam fiunt, non posse cum uno aliquo, quod praeter ipsas subsistat, non contineri; sive Herbartus suspicatur, illas multas res et hoc unum videri invicem pugnare.

Ac primum quidem contra prius illud commentum non sic dicendum esse duco, ut, in quo omnes facile consenserint, id demonstrem. Modi enim triplicis illius commemorationem, quae apud Nostrum est, a propositâ re alienam fuisse, hoc quidem patet. Sed omnino nequit ulla, quae aptior ad rem sit, inveniri ratio pro illo commento dicendi. Nam ista, quae in mentis conscientiâ sui reperitur, et multitudinis rerum et unius alicuius complexio sive vere esse sive inanis ingenii lusus esse censetur, perinde est; quantum quidem in cogitando situm est. Quemadmodum notio multarum rerum, sic ipsae res mul-

tae sibi sufficiunt. Adiuncto uno, nihil ad id, quod hae sunt, additur; ablato illo, nihil ab eodem hoc aufertur. Ac ne causa quidem, per quam res istae vel sint vel obviam homini fiant, aut additur aut aufertur. Possunt cogitari, quaecunque vel sunt vel fiunt, simpliciter et quasi absolute esse et fieri, singula esse et fieri, nec subsistere nec cum alio quo aut inter se contineri. Quo multa sint fiantve, necesse non est, nisi ut haec ipsa multa per vim aliquam, et eam quidem sive propriam suam sive alienam ac sive variam sive unam, ferire se invicem possint. Ut subsistant quaedam eorum prius, quam congrediantur, hoc non magis necesse est, quam ut consistant quaedam eorundem, posteaquam congressa sunt. — Alterius commenti similis ratio est. Non impedit notionem multarum rerum atque res multas ipsas aut adscita his notio unius aut adscitum hoc ipsum. Unitas multorum, itaque continuitas multitudinis, sive haec multa per se ipsa sive per aliud quid secum invicem continentur, hoc quidem efficit, ut eaedem res multae duplicem, non unam formam referant ac proinde non uno, sed duobus actibus cogitandi comprehendantur. Illud vero non efficit, ut duae istae formae videantur esse forma una. Alia autem praeter hanc ipsam inveniri non potest ratio suspicandi, res homini intus obvias multas et unum τὸ ἐγὼ invicem pugnare.

In logicis igitur cum continemus argumentationem, neutrum istorum, de quibus dixi, recte comminiscimur. Neque illud quod videtur unum quid subesse multis, necessitatem monstrat, qua inducta mens τὸ ἐγὼ esse arbitretur; neque hoc quod multa et unum inter se pugnare videantur, temeritatem arguit, qua mens τὸ ἐγὼ esse opinetur. Reliqua una est ea necessitas, quam quidem potest afferre ethica ratio. Non simus nos unum quiddam, cuius illa sint, quae in nobis videntur esse multa. Non cernatur in his nostra quaedam actio et affectio conditiove. Consequitur, non esse, cur, quae extra nos esse videntur, ea ita cuiusquam esse aut ad se invicem atque adeo ad nos pertinere opinemur, ut ad finem quendam contendant aut nobis aliquem exitum sint habitura. Habes multorum multitudinem, non mundum. Logica ratio in

physicis versandi hunc non flagitat, illam non prorsus detrectat. Ethica vero[1]).

§. 11.

Quae res videntur homini *extra* ipsum esse, eae ipsae *esse* censendae sunt[2]).

In priore huius quaestionis parte Hermesius res, quas sensus homini obiiciunt, propterea censuit ipsas esse, quod alia causa, cur formae earum obviae sint, inveniri non possit. Unam vero hanc rationem posse inveniri, hoc ex eo non intelligitur, ex quo reliquarum trium rationum vanitatem intelligi putavit. Ex his rationibus tertiam facile praetermittimus. Altera ex duabus reliquis rationibus in hoc cernitur, ut causa in homine ipso ac solo sita esse dicatur. Temere Hermesius, quin haec ratio cuiquam probetur, illud impedire putavit, quod istae formae passim reperiantur nolenti homini obviam aut esse aut non esse. Terminus quidam obvias habendi rerum formas commode potest positus videri a solâ hominis ipsius naturâ, non a rerum potissimum naturâ. Altera ex illis rationibus in hoc cernitur, ut sit quidem praeter hominem causa aliqua, ea vero a rebus diversum quiddam esse censeatur. Temere iudicavit ille, hocce ipsum, nisi secum pugnaverit, non posse in modo, quo agat in homine ab ipsis rebus differre aut pro rebus obiicere homini speciem rerum. Nequaquam, ubi vel res ipsas obiici vel speciem rerum obiici dicis, haec duo sic sibi contraria sunt, quemadmodum, si quid et obiici et non obiici dicis, haec duo invicem pugnant. Obiectum tibi habes aliquid, sive res sive species rei obiecta tibi est. Ac sicut genus agendi idem est, ita modi quoque in homine agendi iidem esse possunt, sive in obiiciendo verum sive in obiiciendo

1) Docuerunt hoc re a se gestâ Hermesius et Herbartus. Alter multitudinem rerum homini intus obviarum effecit consentaneam ethicis; non recte arbitratus, logice posse monstrari earum unitatem. Alter, recte arbitratus hanc non posse monstrari, prudenter separavit ethicam quaestionis rationem a tractandâ quaestione. Sed minus recte hanc ipsam, fuco rationum invicem pugnantium illato, impedivit.

2) *Hermes*, l. c. pag. 317 — 336.

non verum cernitur id, quod in homine aut res ipsae agunt aut illud ab his diversum quiddam agit. Hinc non impedio, quod negavit Hermesius, illam alteram praeter ipsum hominem formarum causam in modis, quibus agat in homine, ab ipsis rebus discrepare posse. Non consequitur, positâ hac modorum agendi aequalitate, illam aut nihil obiicere posse itaque non esse causam formarum, aut res ipsas obiicere itaque a rebus non differre.

Ipsi Hermesio visum fuit, e t i n h o m i n e e t i n r e b u s inesse causam formarum. Proinde, quid in efficiendo has formas vel hominis vel ipsarum rerum esset, quaesivit. Neque vero ex hoc loco, res non posse cogitari non esse, intelligitur. In homine situm esse iudicavit hoc unum, ut a vi rerum feriri se sentiat; in rebus autem haec duo sita esse, in quibus vel forma vel materia totius rei gerendae cernatur, tum ut sit obiectum aliquid, tum quid et quale hoc sit. Sed per orbem circumivit argumentatio. Solas res oportere haberi formarum causas, simpliciter igitur obiici eas homini et ab hoc percipi, hoc non potuit ex illo effectum videri, quod res unâ hac ratione in causis formarum esse cogitari possent. Hanc esse naturam omnium rerum, id ex solis formis rerum videri potest cognosci, quoniam praeter has formas non esse dicuntur vestigia rerum. Cognoveris autem ex formis rerum ne hoc quidem, esse res; multo etiam minus aut rerum aut hominis naturam et necessitudinem. Nam ex hac ipsâ prius cognoscenda erat formarum natura, quo posses ex formis rerum de naturâ rerum certo iudicare.

In p o s t e r i o r e propositae quaestionis parte Hermesius, quasdam ex rebus etiam s u b s t a n t i a s esse, propterea censuit, quod alia causa, cur singulae res quaeque in quodam loco versantes obviam fiant, inveniri non possit. Sic fere disputavit: Ea spatii locorum particula, in qua res per sensuum vim obviae deprehenduntur, nequit ipsa esse huiusce conditionis rerum causa. Nam causa conditionis alicuius rerum, quas vere esse vidimus, ipsa vere sit necesse est. Spatium locorum autem non vere est. Hinc esse censendum est ab hoc diversum quiddam, in quo sive cuius sint res istae. Haec ipsa autem est

substantiae natura. Itaque patet, in subsistendo cerni naturam illius a spatio locorum diversi cuiusdam, quod significatur, cum res continuo sic, ut in aliquo sint, obviam esse deprehenduntur.

Longe abest a certo haec argumentatio. Primum enim, prodeunt quidem res hoc modo, ut in quodam quaeque loco versari videantur. Verum si eodem hoc in modo prodeundi eius generis connexio rerum et loci cernitur, quae substantiae et attributorum huius connexionem significet: consequitur, non esse praeter unam quandam substantiam nisi huius attributa. Nam singulae quaeque universitatis rerum particulae in quodam loco esse censendae sunt. Nec potuit Hermesio, ne ad hoc Spinosae commentum abduceretur, cautum esse videri. Eam locorum subsistentiumque rerum multitudinem, quae probatâ istâ hermesianâ opinione reliqua est, nec Spinosa sustulit. Verum si attributorum est, esse in aliquo, similiter ac res videntur esse in loco quodam: hoc efficitur, ut substantiae sit, non esse in alio quo, ut igitur non possit nisi una substantia inveniri. Non inest igitur in hoc, quod res in loco quodam apparent, eius naturae rerum significatio, quae prodiderit, res substantiarum et attributorum accidentium ratione inter sese contineri. — Deinde, quae est naturae mentis et sensuum diversitas, ea minime prohibet, quin res, quamvis cum nullo contineantur, menti aeque ac sensibus videantur cum aliquo contineri. Non docet diversitas illa, sentiri quidem posse res, quae non sint in verâ re aliâ, cogitari autem non posse, nisi sint in verâ re aliâ. Non docet igitur, mentem potissimum oportere pro spatio locorum, quod ipsa cognoverit sensuum esse commentum, substituere substantias, quoniam non possit res, quae vere sint, non esse in aliquo, quod ipsum vere sit, iudicare. Nam mens cogitando, suâ igitur actione prosequitur illum, quo sensibus res prodire videntur, modum, quamvis sit ille commentitius. Alienum autem a mente dicendum non est, nisi quod non potuerit cogitationem mentis subire. Ferri hoc a mente non posse, ut vere res sint in loco quodam, hoc Kantus non monstravit. Ac si non posset ferri, non oporteret tamen substantias in loci locum substitui.

B. *Secundae partis posterior quaestio: de necessitate credendi, esse deum, et quae natura huius esse censenda sit.*

§. 12.

De *theoreticâ* necessitate credendi, *esse* deum[1]).

I.

Res quasdam sive intra nos sive extra nos haud temere nobis videri esse, id quidem vidimus. Easdem ubi non singulas, sed ad se invicem relatas consideramus, proxime obviam fit mutatio rerum. Esse autem hanc quoque, id intelligitur maxime ex reminiscentiae humanae naturâ. In reminiscendo obiicitur homini duplex eiusdem rei conditio. Hanc utramque, quamvis inter se vel naturâ suâ diversam vel tempore dissitam, homo non potest quin unâ quadam cogitatione complectatur, itaque ad se invicem referat. Causa huiusce per reminiscentiam obviae relationis exstitisse cogitari nequit nisi mutatio illius rei, quae mutatio interiecto tempore quodam facta duplicem illam eiusdem rei conditionem effecerit. Signa etiam sunt satis manifesta, quibus caveatur, ne per phantasiae libidinem allata dici possit illa rei unitas et conditionis diversitas, illa repetitionis alicuius vere factae cogitatio, denique illa causam huius aliquam inveniendi necessitas. Luculentissimum ex huiusmodi signis est, si quando repetitionis cogitatio unâ cum re repetitâ, hac denuo sensibus obviam factâ, animum subit. Nam fictitiae repetitionis cogitatio non potest animum subire eodem temporis articulo, quo obvia est animo ipsa res ea, cuius repetitio sit fictitia. Res enim, cum fit obvia animo, praesentissimâ fortissimâque vi valet, tum, si fuit quondam obvia, ad gignendam sui recordationem, tum, si non fuit, ad dignoscendam fictam repetitionem a verâ.

Causas autem mutationum ubi mens anquirit, tria quaedam naturae huius consentanea sunt. Aeque enim ne-

1) *Hermes.* l. c. pag. 336—367.

cesse est, ut mens tum nihil causae alicuius expers et in fortuito casu positum iudicet, tum exordiatur a causis in hac rerum naturâ ipsâ obviis, tum a perficiendo indagationem causarum non desistat. De uno hoc, quod postremum fecimus, explicatius dicendum est. — In hac rerum naturâ quaecunque accidunt mutationes, earum causae sitae sunt tum in ipsis singulis substantiis, quibus illae accidunt, tum vero etiam in alteris quibusdam rebus eiusdem generis. Ex hoc cognoscitur, universitatem causarum non contineri in universitate huius generis substantiarum, sed alio quo ultra hanc elato complendam esse. Nam illa indaganda est causa, quam si quis aut esse aut indagandam esse negaverit, idem dixerit posse aliquid causae alicuius expers esse; quod nefas est dici. Huiusmodi vero causa neque intra infinitam finitarum causarum seriem neque ultra eandem sita videri potest. Nam ipsam finitarum causarum seriem in infinitum prosequi, est nolle causam eam assequi, quam non potest mens non velle assequi, quoniam in infinitum protracta indagatio causarum non differt a sublatione necessitatis causarum. Ultra infinitam autem causarum seriem quod sit, ne cogitari quidem potest. Quare hoc unum reliquum est, ut illa, quam mens anquirit, causa censeatur esse ultra finitam finitarum causarum seriem elata, esse igitur alius generis res quaedam, causa sui infinita, ac per hanc ipsam naturam suam principalis finitarum causarum causa.

II.

Esse mutationem rerum, de hoc satis acute dixit Hermesius. Neque rem, Herbartum secutus, hoc impediveris, ut ipsam mutationis notionem secum pugnare videri comminiscaris. Sed concidunt, quae ille pro mutatione rerum dixit, maxime quoniam, subsistere harum aliquas, non potuit satis luculenter ostendi.

De causis autem mutationis rerum disserens Hermesius, cosmologico[1]) huic argumento haud maiorem,

1) Repudiavit enim physicotheologicum et ontologicum. Ac ne in hoc altero quidem repudiando censendus est sibimetipsi non constitisse: cf. pag. 398 — 408.

quam habebat, indidit logicam necessitatem menti, quae deum esse statuerit, suffragandi. Ac primum quidem illâ lege causali hoc unum efficitur, ut aliquid esse censendum sit, quod suâ essentiâ ac vi efficaci complectatur universam multitudinem eius essentiae et efficacitatis, quae in hac rerum naturâ prodit singulatim et distincta modorum varietate. Cadunt in istud, si huiusmodi quid est, duo illa, quae sita sunt in lege causali, ut possit et universorum, quae sint, et sua causa haberi. Namque istud universam essentiam ac vim, et eam quidem in semetipso complectitur. — Verum ipsa rerum universitas potest huiusmodi quid esse dici, sive finitam sive infinitam eam habes. Nam secus si cui esse videretur, is quod absurdum est pronunciaret, aut accedere aliquid ad id, quod causa est, aut ab eodem auferri aliquid, ubi id quod effecerit causa cum hac aut comprehenderetur aut non comprehenderetur per unius eiusdemque rei rationem. Hoc in singulas causas et in universitatem causarum pariter dictum esse, id quidem patet. Ac de notionibus non dici, nemo non videt. Quae autem ab Hermesio allata est ratio distinguendi deum a mundo, non comprehendendi causarum universitatem cum rerum universitate, eam prorsus vanam habeto. Opinatus ille est, comprehensâ secum invicem utrâque hac universitate dici, quod absonum sit, cunctas res simul esse. Sive vero particulam quandam sive universitatem causarum in ipso universo rerum corpore sitam dicis, hoc rerum corpus dicis non unâ cum illâ prodiisse, sed propterea, quod illa sit, potuisse prodire ac deinceps necessario proditurum esse. — Ad pantheismum igitur propulsandum non valuit ista argumentatio, qua ille effecisse sibi videbatur, ut intra infinitam finitamve finitarum causarum seriem causa ea, quae suffecerit rei efficiendae, sita esse iudicari non posset. Atqui pantheismus facile sic corrumpitur, ut a polytheismo et ab ipso etiam atheismo prope absit aut nihil differat. Ac theismus in hoc uno cernitur, ut deus sit causa infinita ultra finitam finitarum causarum seriem elata. Unum hoc ex illâ lege causali effici posse, non ostendit Hermesius. Non igitur ad exitum rem perduxit.

Accedunt alia duo, quibus robur argumentationis hermesianae infringatur. Legi causali, in qua totum hoc situm est, refragari et omnem causae rationem sustulisse is censendus non est, qui in infinitum proferendam duxit indagationem finitarum causarum. Hic non negat, esse infinitam causam, aut dicit, sufficere finitas causas. Illud vero negat, assequi se illam posse, aut, siquidem modestius dicit, se esse illam assecutum. Non abhorret ab hoc loco illa, quae apud Kantum est, infiniti et indefiniti distinctio. Cur autem illâ etiam, quam hic secutus fuit, ratione usi adversus legis causalis auctoritatem dicamus, non habemus. Illam dico, quod huic philosopho incertum esse visum fuit, utrum auctoritas ista in hac rerum naturâ continenda sit, an ad ea, quae ultra hanc sint, pertineat. Sic enim si de illâ lege existimas, hoc uno universam eam, quae ultra res sensibus obiectas contenderit, quaestionem praecidis. Illam vero difficultatem, qua theismum per contrariam sibi infinitae causae et finitarum rerum naturam impeditum videmus, ne sensit quidem Hermesius.

Quae cum ita sint, nos non prohibuerimus quidem humanam mentem a studio deum investigandi. Neque, Kantum secuti, dixerimus, aut mentem paene nullo huiusmodi studio per suam naturam ferri, aut, si quo feratur, maiorem esse modum et vim eorum, quibus se mens impediat, quam eorum, ex quibus se expediat. Hermesium vero logicâ suâ ratione propius ad inveniendum deum accessisse, negamus.

§. 13.

De *naturâ* dei *theoreticis* ex causis necessariâ [1]).

De modo, quo suprema causa agere et naturam suam prodere censenda sit, maxime tres loci sunt, in quibus temeritas argumentationis etiam ad naturam dei ab Hermesio translatae conspicitur. Primo in loco visus sibi fuit exordii rerum necessitatem et aeternitatis earum vanitatem ex notione supremae causae deduxisse. Ratio-

1) *Hermes.* l. c. pag. 367 — 408.

nem, qua factum fuerit, ut causa suprema creaverit mundum, ita in naturâ huius sitam censuit, ut haec ad creandum non per necessitatem quandam fuerit determinata, sed per libertatem suam ipsa se determinaverit. Si, ut ipsis fere verbis eius utar, rationem eam, qua suprema et aeterna causa exstiterit causa, in obiectivâ huius naturâ cernì, itaque physicam hanc causam per necessitatem naturae suae creasse censes: consequitur, aeternam infinitamque censendam esse finitarum causarum seriem, et, quoniam ultra hanc nihil potest cogitari esse, tolli causam supremam. Sin rationem illam in subiectivâ dei naturâ cerni, itaque ethicam hanc causam per libertatem voluntatis suae creasse censes: actionem eius non minus aeternam, sed ab aeterno in volendo constitisse, a tempore quodam etiam in creando prodiisse dicis; neque habes, cur inter volendum et creandum mediam interponas vim ullam, itaque mutationem illi causae accidisse fingas.

Haec creatricis naturae dei existimatio primum hanc falsâ notione τοῦ ὄντος corrupit. Potest eius τοῦ εἶναι, quod deo tribueris, ea notio mente informari, in quâ ipsâ sita sit necessitas prodeundi in creando. Atque ea quidem necessitas, quâ positâ nec suprema causa ultra infinitam finitarum causarum seriem esse, itaque omnino non esse dicatur, nec deo alterum quid aequale ei adiungatur, temporis vero et mutationis ratio a deo arceatur. Ipsam igitur supremi illius τοῦ ὄντος naturam in necessariâ et aeternâ vi et efficacitate essentiae cerni dico. Pugnare invicem vix cuiquam videatur, si quid et esse et prodere se esse dicitur. Nec deus, positâ creationis mundique aeternitate, ultra infinitum mundum esse, itaque non esse dicitur. Nam terminus mundi, ultra quem sit, sublatus est. Nec deus, probatâ illa τοῦ ὄντος notione atque comprehensâ causâ cum eo, quod haec effecerit efficiatve, cum mundo commiscetur aut hic eodem quo ille loco habetur. Nam cogitabis esse aliquid praeter causam, idemque esse per causam, quamvis neutrâ ratione coeperit esse. — Necesse vero etiam est, τὸ ὄν illâ potissimum, quam dixi, notione comprehendi. In deo esse et agere, velle et facere a se invicem nec differre nec vero etiam

distare dici potest. Nam si quid non per necessitatem naturae suae aliquâ vi suâ esse se prodit, potest hoc haberi similius iis, quae non sint, quam iis, quae sint. *Τοῦ ὄντος* vero ipsa etiam appellatio eam, quae ipsum *τὸ εἶναι* quasi exprimat, essentiam refert. Atque maius est illud, quod non possit, quam hoc, quod possit cum iis, quae non sint, aliquo modo componi. Supremum vero Numen illud esse dixeris, quo nihil possit maius cogitari. Accedit, quod, si secus est, nec temporis nec mutationis ratio a dei naturâ arcetur. Temporis ratio censenda est ad ipsum eum pertinere, cuius sit huiusmodi actio creandi, quae insecuta fuerit voluntatem creandi. Mutatio censenda est in deo accidisse, ac vis quaedam inter volendum et creandum interposita fuisse, qua factum sit ut hoc in illius locum succederet. Dixeris quidem eandem vim divinam et ab aeterno voluisse efficere et deinceps effecisse mundum. Itaque cautum fuerit, ne hic per inconstantiam aut improviso exstitisse videatur. Reliqua vero ea est mutationis ratio, quae inest in ipsâ volendi et efficiendi diversitate ac successione.

Deinde hermesiana existimatio creatricis naturae divinae hanc corrupit falsâ notione vel necessitatis vel libertatis in eâdem sitae. Ista obiectivae et subiectivae naturae dei distinctio ac separatio inane commentum est. Tollit unâ cum necessitate libertatem, in huius locum substituit arbitrium. Voluntas dei, quam cum arbitrio componi nefas est, per naturam dei determinatur. Per hanc igitur ea est, quae est; nec differt ab eâdem nisi hoc, quod refert eam prodeuntem. Hinc libertas voluntatis dei, quo differat ab arbitrio, non potest differre a necessitate eâ, quae in naturâ dei sita sit. In deo potest distingui libertas a necessitate, quando opponis deo, quae praeter deum sunt. Non potest, quando in iis te contines, quae dei et in deo sint. Cum appellas libertatem, dicis necessitatem, nihil ad hanc adiungis; ne eam quidem virtutem, per quam id quod dei sit ab alio praeter ipsum eundem nequeat determinari; sed refers hanc virtutem, quae in ipsâ dei naturâ inest, ad id, in quo valeat, et ab hoc appellas. Quaecunque igitur deus sive voluit sive effecit, his omnibus

ratio per naturam dei necessaria subesse censenda est. Hinc deus, si deinceps existere mundum voluit, per naturam suam non potuisse non velle censendus est. Naturae autem divinae consentaneum non esse nisi exordium mundi et idcirco hoc esse necessarium, nemo facile est qui opinetur. Si quid de eo, quod natura dei ferat, potest iudicari, luculentius cum hac aeternitatem quam exordium mundi congruere videri, haud levis suspicio est.

Secundo in loco Hermesius voluit videri creationem mundi ex nihilo factam ex notione supremae causae deduxisse, difficultatem autem illam, qua hunc creationis modum, qui dualismo dediti erant, impediverunt, omnem sustulisse. — Per illud quidem eorum dogmaticorum commentum, qui de nihilo nihil posse gigni praeceperunt, rectissime negavit simpliciter everti creationem ex nihilo factam. Est quaedam in hac menti probandâ notionis eius, qua suprema causa comprehenditur, auctoritas. Huiusmodi causa non potest nisi una cogitari. Hinc praeter eandem esse existimari nequit, quod ei in hoc, ut esset causa, ullo modo adfuerit. Natura eiusdem non potest nisi ea cogitari, quae suâ essentiâ universam illam, quam mens possit assequi cogitando, essentiam complectatur. Hinc non solum non est, cur fingatur aliquid adfuisse ei, verum etiam nequit dici esse quidquam, nisi manavit ex universo hoc fonte essentiae. Ea est notionis illius amplitudo, ut praeter supremam causam nec possit nec debeat fingi alia ratio eius, quod exstitit sive forma sive materia rerum. — At vero eiusdem illius notionis etiam haec eadem atque omnium notionum natura est, ut nulla sit harum auctoritas, ubi ad rem anquirendam perventum est. Istâ causae universam cunctorum rationem in se complectentis notione etiam huius mundi causam aut posse aut oportere comprehendi, hoc plurimis visum fuit non posse demonstrari. Non a priori, quoniam praeter ipsum mundum alia non esset oblata ratio supremam causam fingendi. Non a posteriori, quoniam natura mundi dignitatem unius illius causae non assequeretur, unitatem causae non ferret. Atque haec argumentatio ab antiquo tempore non tantum dogmaticorum fuit, qui aut apud dualismum aut apud

pantheismum erant nomina professi; sed scepticorum quoque et criticorum, quibus argumenta quaestionum huius generis altius, quam vis humanae mentis pateret, sita esse videbantur.

Cum his omnibus egisse atque omnibus his eam sententiam, quae dicenda esse videretur, probasse, consentaneum erat rei ab Hermesio susceptae. Hic vero, ne assecutus quidem vim et potestatem notionis illius, aliunde repetito ratiocinio tanquam uno ictu cunctos istos fugavit. Substantias enim illas, velut materiam, quas creatori deo adfuisse perhibuerint, non potuisse contendit in creatione mundi eam, quam haec ferret ac flagitaret, mutationem subire, quoquo modo fingerentur vel ab aeterno fuisse vel mutationem in creatione mundi subiisse. Nam quasi per inductionem, universam modorum utriusque huius generis varietatem complexus, docuerat: quovis horum posito aeternitatem et mutationem istarum substantiarum secum invicem non consistere; itaque has aut non ab aeterno fuisse ac creatori deo adfuisse, aut non potuisse in creatione in aliam formam transferri. Sic denique credidit, hoc uno modo factam esse creationem mundi, ut etiam substantiarum illarum ortum effecerit una et sola suprema causa. — Sed explicatius dicam. Modos, quibus illae substantiae ab aeterno praeter supremam causam substitisse cogitari possent, hos tres esse dixit: ut a se substiterint aut per se ipsas aut per ipsam supremam causam aut per aliam et quasi tertiam quandam rem a se subsistentem. Sed nihil potest hoc adeptum esse dici, ut a se sit. Debuit modorum subsistendi enumeratio in duobus illis contineri, quos in omnibus dualismi formis repeti videmus. Alteris ἡ ὕλη visa fuit a semetipsâ praeter deum esse; alteris, iisque eruditioribus, non a se esse, sed seiungi non posse a dei essentiâ, quemadmodum τὸ μὴ [οὐκ] εἶναι a τῷ εἶναι seiungi non posset. Inducti fuerunt in hanc dualismi professionem alteri hi etiam logicâ hac ipsâ, quam dixi, ratione; utrique empiricâ quadam ratione, arbitrati in rebus conspicuam duorum sibi contrariorum coniunctionem in ipsis causis sitam esse oportere. Hermesius adversus neutram harum rationum dicendum sibi esse duxit. Neque

vero etiam suâ quadam ratione dualismum propulsavit. Dixit quidem, pugnare inter sese substantiarum illarum essentiam, siquidem haec aeterna fingeretur, et mutationem, quae iisdem in creatione per deum accidisse diceretur. Tres enim mutationis modos fingi posse, eosdemque ad unum omnes alienos fuisse contendit a naturâ vel aeternarum substantiarum vel supremae causae vel creationis. Non est vero ita. Primum enim si quis rationem mutationis aeternarum substantiarum in necessitate eâ, quam natura supremae causae afferre creditur, sitam fuisse censet: hic minime pugnat cum essentiae illarum substantiarum aeternâ necessitate. Nam ista mutatio ad modos essentiae, non ad essentiam ipsam pertinuisse dicitur. Non est autem, cur ea potissimum illarum substantiarum essentia fuisse existimetur, quae modis variis prodire non posset. Deinde si quis rationem mutationis substantiarum in libertate supremae causae sitam fuisse censet: hic minime pugnat cum immutabili huius naturâ. Nam non est cur mutatio ad voluntatem dei pertinuisse dicatur. Potuisse duo sibi invicem contraria in eâdem aeternâ dei voluntate comprehendi, ab ipso Hermesio accepimus. Huic enim, quo creationem ex nihilo factam defenderet, non videbatur mutatio ei deo accidisse, qui ab aeterno voluisset primo non esse, deinceps vero esse aliquas praeter se substantias. Similiter potest videri mutatio non accidisse in deo, si hic ab aeterno voluerit illas substantias primo non adipisci, deinde vero adipisci modorum essentiae varietatem. Denique si quis mutationem substantiarum ipsam aeternam fuisse censet: hic non potest allatâ quadam creationis notione refelli. Sane nequeunt primae quaedam causae in finitarum mundi causarum numero reperiri, si ab aeterno exstitit mutatio. At hoc quidem non impedit, quo minus dicatur ab aeterno exstitisse ista mutatio. Nam qui aeternitatem mutationis ac mundi dixit, idem primas causas et exordium mundi sustulit. Non potest alterum horum altero refutari.

Tertio quodam in loco movit Hermesius quaestionem de **modo, quo deus sit et subsistat.** Ad exitum vero eam non perduxit, quoniam hoc non sit necessarium

menti, idcirco nec possit fieri per mentem. Disputavit autem de isto modo haec fere: Is modus, quo apud pantheistas deus subsistere fingitur, repudiandus est. Nam mens ipsum hunc sensibus obvium et a se utcunque exornatum mundum dei loco habere propterea non potest, quoniam non potest causam ab eo, quod haec effecerit, non discernere. Reliqui autem qui sunt modi duo, ex his alter in eo cernitur, ut virtus illa creatrix in semetipsâ subsistat. Nam sensibus quidem obviae res quaeque cum uno quodam spatii locorum temporumque articulo constrictae deprehenduntur. Quae vero res, quemadmodum vis, ac divina potissimum, a solâ mente inveniuntur, eae ita esse censeri possunt, ut non sint in alio quoquam. Quibus enim modis cogitandi intellectus comprehendit res a sensibus oblatas, iisdem non habet mens cur notiones rerum a se inventarum comprehendat. Potest autem suprema causa et virtus etiam altero quodam modo subsistere existimari. Potest enim in rerum universitate atque adeo haec ipsa esse dici; ita tamen, ut quaedam huius natura ac forma praestantior hac, quae sensibus patet, menti fuerit manifesta.

Recte quidem Hermesius priorem modum praeferendum duxit. Male vero non impediri sese putavit intellectu huic refragante. Illâ enim intellectûs et mentis distinctione fretus arbitrabatur, mentem posse in suis rebus tractandis suas quasdam leges simpliciter comminisci. Alter autem modus is, quo eodem deum subsistere videri posse putavit, sinceram refert pantheismi formam. Quicunque enim ex philosophis eruditius de hoc praeceperunt, eos a duplici quodam crimine liberari par est. Primum nequaquam hi ad unum omnes hac sensibus obiectâ et per qualemcunque mentis usum utcunque exornatâ rerum universitate comprehensum illud τὸ πᾶν dixerunt, in quo τὸ ἕν, causa illius, subsisteret. Eam vero dixerunt rerum universitatem, quae, in infinitum proditura, integrum τὸ ἕν in prodeundo nunquam proderet, infinitam igitur ac divinam huius naturam ipso modo prodeundi continuo referret. Itaque hunc quemcunque mundum indignum deo ipsi duxerunt, et augustiorem quandam universi formam

mente informatam habuerunt. Ex hoc, quod dei dignitatem non assequatur mundi natura, illud unum efficitur, in quo prudentiores pantheistae consenserunt et quod apud antiquos τῇ ἀνάγκῃ significabatur. Illud dico, quod τὸ ἕν, quae sit natura huius omnibus essentiae numeris absoluti, in infinitum nequeat integrum prodire. De modo autem, quo contineatur deus cum mundo, ex eo, quod huius dignitas impar sit illius dignitati, existimari nefas est. Aeque longe abest a se invicem dignitas utriusque, sive deum intra mundum sive extra eundem subsistere, ac sive etiam τὴν ὑπόστασιν sive solam τὴν δύναμιν dei cum mundo contineri arbitraris. Nam in deo haec non differunt. Deinde nec pantheistae τὸ ἓν et τὸ πᾶν sic invicem confuderunt, ut non esset nisi logica distinguendi ratio. Discreverunt causam illam unam ab hac, in qua efficiendâ effingendâque eadem illa continuo prodiret, rerum universitate. Quare ne est quidem cur illud commemorem, quod deus consueverit dici causa sui etiam apud adversantes pantheismo. Quae quoniam ita sunt, theologus noster pantheismum ferri posse existimavit.

§. 14.

De *ethicâ* necessitate credendi, esse deum[1]).

Hermesio iudice humana mens per insitam sibi necessitatem et studio quodam ad deum fertur et aliquo modo hunc assequitur, ubi quidem in physicis versatur, non item ubi in ethicis se continet. Quo cognitum homini sit, et debere et posse se legem ethicam ratam vel habere vel facere, ac quo possit facere eam ratam, haec duo necessarium duxit esse perspecta: esse tum aliquam hominum rerumque universitatem, in qua fiat rata lex ethica, tum eam hominis naturam, per quam aeque possit ac debeat actio vitae ad ethicam legem libero arbitratu composita esse. Ut deus sit et credatur esse, hoc non putavit nisi ad augendam vim illorum valere, quibus dixerat hominem, si non credidisset esse deum, satis commoveri. Negavit, deum esse rem ethicis ex causis veram

1) Cf. I. part. 2. quaest. — *Hermes.* l. c. pag. 408 — 444.

habendam, quae si non esset aut non crederetur esse, lex ethica non posset aut non deberet rata fieri ideoque rata haberi.

Priore igitur in parte de eâ vi ethicorum ille disputavit, qua homines studio cognoscendi quodam ad deum ferrentur; qui locus amplissimus est de ethicâ necessitate rerum divinarum. In hoc, quemadmodum a plurimis factum, alteram argumentandi sedem quaestionisque partem praetermissam video. Agitur in ethicis cum toto homine ac de universâ huius naturâ et conditione, non cum mente solâ. Huic indita est cum lege ethicâ et huius auctoritate etiam facultas eidem convenienter sentiendi agendique; illi non item. Hinc quod ethice necessarium dicas, id in hoc cernitur, quo sublato deest et quo posito adest vitae ea, quae ad bene beateque vivendum idonea sit, legis menti insitae non tantum auctoritas, verum etiam potestas. Quid tandem huiusmodi esse censendum sit, hoc cognoscitur, si spectas id, cui illud sit necessarium, non ex solâ illâ, quae debet esse, naturâ humanâ, sed ex hac, quae est, relatâ vero ad illius exemplar. Ac si id spectas, ad quod illud necessarium sit, cognoscitur non tantum ex singulis quibusdam recte agendis, sed ex universitate vitae cuiusque hominis ac generis humani componendâ effingendâque totâ ad legis ethicae sanctitatem.

Commovet autem me, ut amplitudinem eorum, quae ethicis ex causis vera haberi consentaneum sit, latius patere censeam, ipsa ea vel natura vel mutua hominum rerumque necessitudo, quae in ipso vitae humanae usu comprobata est. Ac primum quidem virtutum illarum naturae humanae, legis ethicae et liberae voluntatis, simillima invicem ratio est. Ambigua est et illa legumlatio et haec libertas. Nam duae quaedam naturae humanae partes suam quaeque dignitatem affectant ac suâ quaeque potestate valent. In alterâ ex virtutibus illis iampridem consuevit physica liberi arbitrii et ethica libertatis ratio discerni. Par est, simili modo discerni etiam legumlationis illius conditionem vel naturalem et rudem vel ethicam et eruditiorem. Hae igitur humani animi vir-

tutes num possint eo, quo par est, eruditionis loco potiri et ambiguitatem naturae suae superare per solam huius ipsius vim et potestatem, hoc magnam habet dubitationem. Generatim, dicentium de universâ hac causâ non possunt esse nisi somnia vana. In eâ vero, quae quidem hucusque reperta in hominibus est, illarum virtutum naturâ erudiendâ, quidquid Kantus dixerit, illud fuit necessarium, ut illa, quae debent esse, per haec, quae sunt futurave sunt, posse esse crederentur ac recte credi iudicarentur. In eâdem hac, quae fuit, humanâ naturâ effingendâ non satis valuerunt illae virtutes, nisi credebatur, ab e â d e m unâ quâdam mente et ipsas illas et reliquam hominum ceterarumque omnium rerum naturam ac coniunctionem profectas esse ac continuo gubernari. Necesse enim est, visa fuerit haec ipsa tum utriusque generis tum universitatis eorum, quae sunt, comprehensio prodiisse ac prodire et tanquam exemplo comprobari in unius mentis vi creatrice et curâ moderatrice, universis iisdemque vel physici vel ethici generis rebus praefectâ. Sic tandem videbitur hominis esse, eandem physici et ethici harum generis convenientiam suis rebus conciliandam moliri. Nisi enim, Platonem secutus, homini, quantacunque est rerum huius tenuitas, deum etiam imitandum proposueris, ethicâ quidem ratione hominem ad deum ferri non dices. Si quis in hoc substiterit, ut habeat sibi persuasum, quod non tam persuadet quam inculcat continua vis rerum circumiectarum, crediderit igitur, non in solis hominibus rebusve ipsis eam quae cunctis suffecerit rationem sitam esse: is minime habebit cur deum potissimum universitati rerum praeesse arbitretur.

Non dico aut pro cosmologicâ aut pro ethicâ ratione, qua homo ad deum necessario feratur. Dico a d v e r s u s s e p a r a t i o n e m c o s m o l o g i c a e e t e t h i c a e a r g u m e n t a t i o n i s. Namque separatio ista genuit illam cosmologici argumenti vanitatem, quam Hermesius èx hoc eximere non potuit, atque illam ethici argumenti corruptionem, quam a Kanto proficisci potuisse miramur. In hermesiano illo modo cosmologice ratiocinandi solutum fuit vinculum, quo physica et ethica inter sese continen-

tur. Praetermissâ autem ethicâ rerum aestimatione, non erat quod mentem in physicis haerentem impediret, quo minus cum ipsâ rerum naturâ supremam causam complecteretur; neque erat quod eandem compelleret, ut aliis praeter potentiam et intelligentiam aut summis virtutibus istam causam exornaret. In kantiana ethici argumenti conformatione admodum imminuta est huius vel dignitas vel vis et potestas. In eâ mens non tam suam quam sensuum rem gerebat, cum postulabat ut esset deus. Cui autem placuerat, ipsam rerum hominisque naturam prorsus non posse cognosci, is non potuit sempiternum in naturâ humanâ locum et in re humanâ honorem sensibus arrogare. Ac qui immortalis vitae spem in solâ ethicae legis ratione sitam habebat, is potuit infinitae illi temporum posteritati et ingravescenti legis huius potestati ita traditam commissamque habere causam sensuum gerendam, ut pedetentim exueret vim horum natura futurae ac studium praesentis humanitatis. — Illius vero cosmologici argumenti, quod a fingendâ humanitate abesse posse negaveram, natura ac potestas cernitur in comprehendendo et physicam et ethicam rerum hominumque vel universitatem vel existimationem. Anquirenda est causa tum eius mundi, qui menti, sensuum testimonia perscrutanti et hinc sive geometricas physicasque sive logicas quasdam leges invenienti, obvius est; tum vero etiam eius, qui menti, in agendo et in regundâ voluntate sese continenti et hinc ethicas quasdam leges ferenti, necessarius est. Ipsis iis, quae apud logicos praecipiuntur, non est consentaneum, cosmologicae rationi deum investigandi subiecisse non t o t a m eam rem, quae affert necessitatem investigandi causam, ac non e a m potissimum rei c o n d i t i o n e m, quae propius ad hominem pertinet et hinc fortius eum ad investigandam causam instigat. Consideranda est haec, quae est, universa igitur et integra rerum figura et conditio, ac quoniam hanc non satis in cognoscendo assequimur, ea potissimum, quam res, c u m p r o p i u s a d n o s i p s o s p e r t i n e n t, referunt, nostra igitur et rerum, ethicorum et physicorum mutua inter se connexio. Haec ipsa cunctorum harmonia si nulla est, virtutes illae humanae mentis irritae et vanae sunt. Istam

vero ab solo homine non posse, a supremo Numine, quod universitatem rerum hominumque suâ et intelligentiâ et potentiâ complectatur, posse proficisci, id quidem intelligitur.

In alterâ parte Hermesius de eâ vi ethicorum disputavit, qua mens, cum quendam agendi modum imperaret, deum assequeretur. Nullam autem esse eam, hoc illi visum fuit ethicae ratiocinationis a Kanto et ab Fichtio propositae vanitate satis esse comprobatum. Sed forma ea, in quam ab his argumentum ethicum redactum videmus, minime sic cum ipsâ huius naturâ continetur, ut appareat, hoc quoniam corrumpi ab istis potuerit, idem elevari potuisse ab Hermesio. Kantus sensuum, Fichtius mentis, uterque non hominis potissimum figuram habebat sedem argumentationis. Hic sensibus tribuit minorem, ille maiorem, quam per naturam humanam vitâ hominum proditam fas erat, in fingendo homine auctoritatem. Quem Kantus ex terrenâ ac rudiore hominis naturâ et conditione effecit effinxitque deum, eundem recte dubites ultra hanc elatae eruditiorique hominis naturae necessarium consentaneumve futurum appellare. Fichtius autem de mente dixit, quum de homine dicendum esset. Simpliciter arbitratus est, quodcunque mens possit et homo debeat efficere, id hominem etiam posse efficere. Per ipsam hanc admirabilem *τὴν μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* inductus fuit ad somniandum illum „ethicum rerum hominumque ordinem," qui effingeret deum potius quam deo rebus hominibusque praefecto et praesente in his iisdem effingeretur. Persuaserat sibi, solum id videri esse praeter humanam mentem, quod haec non ex se ipsâ sive cogitando sive volendo effecisset. Ex hoc commento non potuit prodire nisi autotheismus. A dignitate autem et maiestate eius, quod supremum in divinis locum teneret, minus detrahi putavit, si hoc continuo in aliis quibusdam esse ac continuo fieri et accidere, quam si ipsum sic subsistere crederetur, ut alia cuncta in eo fierent et essent. — Sed dixeram, his et similibus corrupti argumenti ethici exemplis vim et auctoritatem huius minime everti. Haec ipsa vero in illis conspici mihi quidem videtur, quae adversus priorem hermesianae huius disputationis partem disputavi. Nam tantum cognosci-

tur deus, quantum diligitur. Atque Numen supremum ex omnibus, quae cogitari possunt, unum id est, cuius ipsa etiam notio et natura in hoc cernitur, ut homo illud tantum assequatur, quantum non posse se illud assequi intellexerit et hinc studio ad illud feratur[1]).

---

1) De eo hermesianae disputationis argumento, quod in attributis dei vel theoretică vel ethică ratione tractandis versatur (l. c. pag. 444 — 503), explicatius dicendum non duxi. Nam notio dei, quae summam rei secum continet, non potest in disputatione eius, qui recte num sit deus quaerit, non comprehendi. Quanquam non ita hoc dictum existimari velim, ut, quae in singulis his locis vel de mentis ipsius potestate et revelationis necessitate vel de theoreticarum et ethicarum rationum auctoritate a Nostro proposita sunt, ea omnia aut recte posita esse aut cum ipsis illis, de quibus generatim exposuerat, consistere videantur. In promtu est, largam errorum copiam ex uno illo errore, qui nobis in contemtione ethicae et admiratione logicae rationis de divină re existimandi conspicuus fuit, manavisse. Ut uno hoc utar, docuerat ille, hominem ad id, ut esse deum crederet, rationibus logicis solis, ethicis nullis compelli posse ac debere, legem ethicam autem etiam sublato deo idoneă ad rem potestate in homine valere. Atqui idem ille in hac, quam nunc propositam nobis habemus, libri parte docuit, sanctitatem ethicis ex causis non posse a deo abesse iudicari. Qui vero potuit, ut ita dixerim, carere ethicis in inveniendo deo et carere deo in tractandis gerendisque ethicis, is mutuam quandam dei et ethicorum necessitudinem non alienam quidem ab his, non necessariam vero iudicavit. Idem igitur aut non invenerat deum istă suă cosmologică ratione, a quă aliena fuit sanctitatis commemoratio; aut, si invenerat, hoc docuit, tantum posse etiam sanctitatis virtute naturam dei exornari et condecorari, quemadmodum possit ethica disciplina etiam deo quodam exornari ac corroborari. — De aliis, velut de animae humanae immortalitate, fusius quam par erat disseruit. Rem, quae agebatur, vel non attigit vel obscuravit et impedivit. Erat vero ea paucioribus his fere expedienda. Humana mens flagitat immortalitatem, quoniam insitam sibi sentit legem ethicam, circumiectam vero videt huic adversantium molem, et quoniam hinc, etiam si non crediderit esse deum, non potest semetipsam non iudicare vanam, si quidem qui convenienter isti legi vivunt, ii non possunt, illi vero qui non convenienter, possunt suo fine potiri; ita enim fuerit, sublată immortalitate. Monstrare vero mens non potest necessitatem immortalitatis, quoniam illud non potest monstrare, eam esse reliquarum rerum universitatisque rerum naturam, ut haec secum consistere non possit aut huic aliquid defuturum sit, si humanum genus eo, quem mens humana proposuit, fine non possit potiri.

III. TERTIA PARS. §. 15.

DE NECESSITATE ARBITRANDI, FACTAM ESSE DIVINAM DIVINAE REI REVELATIONEM [1]).

Mens humana potuit, quae fuit Hermesii opinio, philosophando ad deum usque ipsa pervenire. Proinde haud facile habitura est, cur sibi, ab hoc cogitationis atque eruditionis fastigio proficiscenti, obviam fore suspicetur revelationis reliquarum rerum divinarum necessitatem. Atque etiam populus, ut non sit eundem in locum perductus a senatu philosophantium, conspicatus tamen hunc in tam conspicuo loco constitutum et admiratus, aegre eo adducetur, ut eruditissimam mentem istam ducem abhinc sequi nolit. Ut dicam, quod res est, per ea, quae ab Hermesio in duabus illis partibus disputata sunt, quaestio ad quoddam quasi dilemma redacta est. Necessitas enim revelationis existimanda fuerit aut, si est magna quaedam humanae naturae debilitas et corruptela, etiam prius incidisse, aut, si levior haec est, nec posthac necessario ingruere. Hermesio quidem, ne ad alterum hoc totus ferretur, maxime ita cautum esse videbatur, ut bipartitum fingeret genus humanum, bipartitam revelationis ac necessitatis auctoritatisque huius rationem. Haec hominum vel philosophantium vel non philosophantium diversa ac contraria invicem conditio per totam hanc libri partem, quae in humanae et divinae mentis inter se contentione versatur, perlata est. Cernitur in eâ exitus praeparationis huius rerum ad theologiam necessariarum. Cernitur in eâdem universa illa, quam Hermesius in reliquis libris secutus fuit, ratio novas res theologicas in sacrâ republicâ catholicorum moliendi. Primum enim singulorum Christi ecclesiaeque praeceptorum interpretatio ea esse debuit, quae naturam ac vim referret illarum rationum, ex quibus repetita fuerat necessitas aliquam factam esse revelationem arbitrandi. Deinde in hoc ipso universa auctoritatis vel Christo vel ecclesiae tribuendae et fidei utrique habendae

---

1) *Hermes.* l. c. pag. 504 — 613.

causa collocata fuit. Cernis, quare nostrum sit, in uno potissimum isto loco quaestionem continere.

Hermesius igitur, ut summam rei complectar, censuit: revelationem certo dici necessariam non theoreticis ex causis, ex ethicis vero; et ex his quidem simpliciter necessariam solis iis, qui non sint per philosophandum imbuti intelligentiâ ethicorum; hos cum philosophis contineri eorundem officiorum et finium bonorum, non cultûs etiam naturae communione; hinc eosdem alienâ et, quoniam humana quaeque superentur a divinis in fide et auctoritate, divinâ potius quam humanâ ope institui oportere ad suam rem ethicam recte gerendam [1]. — Bene quidem Herme-

---

1) Uberius ab Hermesio sic fere expositum est. Quae est exigua in nobis rerum cognitio, signa, quibus factam esse aliquam revelationem certo cognoscatur, neque in modo, quo orta haec fuerit, neque in iis, quae haec patefecerit, reperiuntur. Ex re igitur obiectâ nobis, sive haec in personâ et naturae indole eius, quo interprete facta sit revelatio, sive in rebus ab eodem gestis traditisve cerni dicitur, neque logicis neque ethicis rationibus quidquam efficimus. Subiectivâ ratione tractanda res est. Practica mens a theoreticâ mente distincta est suo quodam genere rerum et legum. Hinc qua ethicâ necessitatis ratione illa eo adducitur, ut aliquam revelationem factam esse credat, ea non necesse est theoreticae menti suffecerit. Nam illi menti manifesta est ethica necessitas. Prorsus enim illa intellexit, universam humanae mentis amplitudinem sibi quidem non sufficere in potiundo eo fine, quem eadem haec mens proposuerit; ipsam igitur mentem in maximâ re suâ gerendâ indigere eâ fide, quam habeat alii cui menti, instructae illi quidem divinâ et sanctitate, per quam voluerit, et intelligentiâ, qua potuerit esse divinae humanaeque rei interpres. Imperat mens hanc fidem huic habendam, quam nisi imperaret, non potuisset ethicam legem ita imperare, ut haec simpliciter et absolute valeret. — Reperitur haec ethicae necessitatis ratio in cunctis his, sive rudioribus sive eruditioribus, qui non sunt in philosophando versati. Hi, quod tulerit ethicae suae naturae conditio, id propriâ huius vi et auctoritate neque cognitum ratumve habere neque efficere possunt. Atqui in quovis eo, qui a suâ naturâ ad rem instructus ducem se obtulerit, de fide eiusdem theoreticis ex causis dubitandi amplissima copia est. Paene nulla vero in eo, qui supra humanam naturam et ad divinam usque elatâ vi quadam in hoc ducis loco fuerit constitutus. Quare imperat mens fidem huic potius quam illi habendam, quamvis nunquam possit esse ab omni parte certa fidei ratio. — Philosopho ethica quidem mens non imperat hanc fidem. Is enim intelligens est ethico-

sius hanc, quae est et fuit, non, sicut plurimi fecerunt, illam quandam, quae debeat aut in posterum possit esse, hominum naturam universae huic quaestioni subiectam esse voluit. Verum ne in hac quidem naturâ necessitatem revelationis ethicam sitam esse ostendit.

Ac primum quidem ipsam quaestionem duplici modo male ad rem conformavit. Continuit eam in intelligentiâ ethicorum, itaque in eâ fide, qua ad hanc gignendam augendamve necessaria ista revelatio valeret. Hinc continuit eandem a voluntate animi, itaque a potestate eâ, qua in hac flectendâ divina revelatio valeret. Continuit etiam quaestionem in singulorum vel officiorum vel temporum haec ferentium vel hominum ratione. Hinc continuit eandem ab universae vitae et universi generis humani ethicâ eruditione. Ambo hos modos informandi quaestionem secutus, duo illa praetermisit, quibus sublatis haec non magnopere habet, aut quare moveatur aut quomodo dirimatur. Ad intelligentiam agendorum satis valere posse ethicam legem etiam in rudioribus, hoc quidem patet; minimum quasi hoc est, quod legi isti tribueris. Ad voluntatem vero flectendam non satis eandem valere, hoc possit vita plurimorum comprobare videri. Deinde, cum in singulis contines quaestionem, dirimi haec non potest. Nam, quo possit dirimi, naturae singulorum vel hominum vel officiorum vel temporum cognitio necessaria fuerit; sed comparari haec minime potest. Ad totum vero hominem et ad universum hominum genus fingendum non satis valere

---

rum. Theoretica vero mens eundem compellit ad ratam habendam revelationem. Nam quae una inveniri potuit hanc reprobandi ratio, conspicua illa quidem in hoc, quod nunquam luculenter prodeat divinus rei ortus, ea superatur alterâ quadam comprobandi ratione, illâ ethicâ necessitate, quae ex longe plerorumque mortalium non solum animis, verum etiam universâ rerum suarum conditione ac naturâ nunquam eximi auferrique potest. Falli autem a practicâ mente longe maximam praeditorum mente multitudinem, nefas est dictu; nisi forte mentis interpretes mentis constantiam et fidem atque adeo ipsam mentem sustulisse fas est. Supra sancitam hanc vidimus legem per terminum humanae menti positum, ut ethicae necessitati non minus quam logicae tribuatur in cognoscendo etiam de obiectivâ veritate.

istam a naturâ datam legem, hoc possit prodita humanarum rerum memoria comprobare videri.

Ita autem hoc dictum existimari velim, ut appareat, minime omnium ab eo, qui illis duobus modis ipsam quaestionem pervertisset, potuisse priorem partem huius recte tractari, effici ethicam revelationis necessitatem. Haec enim, quae ne in maximis quidem et universis universorum hominum rebus monstrari potest, ab illo ad minores et singulas res detorta fuit. Nos, non hanc, sed priorem illam humanae rei existimationem secuti, complectimur istam quaestionem cum illis locis, in quibus, quae sit vel finis universitati hominum propositi vel providentiae divinae ratio, cognoscitur. Sic possis fortasse revelationem, ut non fuerit manifesto necessaria, convenientiorem tamen ei, quae post hominum memoriam fuit, naturae humanae existimare, quam collaudatam illam huius τὴν αὐτονομίαν. Inprimis si cui visa est naturae rerum vel humana haec particula vel universitas ipsa ac sola suam rem gerere et ad exitum perducere, is providentiam dei itaque deum sustulit. Nisi forte in hoc cerni dicat providentiam, ut inspectet deus mundi spectaculum; in hoc Numen, ut annuat aut non annuat iis, quae inspectaverit. At, dixerit, nutu dei hoc fit, ut ex singulis, quae geruntur a singulis et per singula, prodeat quaedam secum consistens singulorum complexio. Sed incredibilem istam omnipotentiam admiror, quae, ab fingendo singula prorsus aliena, illud solum quondam effecerit ut possent haec ipsa sese fingere, ac possit tamen iisdem in hoc ita adesse, ut ad unum quendam finem contendant ac denique perveniant. Aristotelico illo τῷ πρώτῳ κινοῦντι causa suprema aliqua, non Numen significabatur. In Numinis notione perficiendâ creatio et providentia complectendae sunt; ut ne mundum finxisse videaris semi-deum, quemadmodum vicissim in pantheismo deus fingitur, si hoc liceret dici, semi-mundus. Aut nulla est providentia, itaque deus ex mundo ante fores huius habetur eiectus; aut nihil fit per solam cuiusvis rei naturam ac sine deo. Male vulgo omnipraesentiam dei ad res minutissimas pertinere praecipiunt

eandem per vitae hominis singulos quosque articulos perfusam esse, non praecipiunt. Interim haec perpende. Fortasse tibimetipsi ita constiteris, ut, positâ solâ eâ, quae per naturam hominis facta sit, revelatione providentiam eam quidem, quae ad hominem etiam pertineat, sublatam esse cernas. — Nos autem neque probatâ hac dogmatum inter se connexione neque iactatâ illâ ethicâ necessitate ad necessitatem revelationis monstrandam multo propius accessisse nobis videbimur. Quam parum suffecerit rei hic labor in monstrandâ ethicâ revelationis necessitate consumtus, facile intelligitur. Facultas mentis animique humani quem eruditionis locum possit adipisci, in ethicis et in logicis aeque non potest dici. Finis autem hominibus propositi ac dei sancti omnium rectoris haec quidem manifesta ratio est, ut, quantum virtutis in singulis reperiri et quo fine singulos potiri consentaneum ducatur, hoc situm sit in eo, quo singuli valuerint, virium modo. Atque adeo hoc recte dixerimus, vel non sufficere sibi ipsam hominis naturam, vel tolli providentiam dei revelatione sublatâ, ac neutrum hoc ferri posse. Illud vero, ut sempiterna futura esse haec revelationis necessitas censenda sit, non effecerimus. Natura humana potest ita sibi non sufficere iudicari, ut per hoc ipsum, quod nunc non sufficit sibi, sed deus adest ei, ad illud perducatur, ut ipsa sufficiat ac deus non adsit. Providentia dei potest ita esse etiam in revelatione conspicua, ut modum hunc providendi ipso providendo denique sublatura sit. Si non vel modum facultatis ethicae a naturâ in hominem insitae tanquam emensus es, vel finem eum quo deus humanum genus potiri velit assecutus es, incassum laboras in inveniendo, ac si non cum nostrâ quaestione totum illum anthropologicum locum complexus es, etiam in investigando revelationis necessitatem.

Sed ad Hermesium nostrum revertimur. Hic eorum, qui de dogmaticis rebus praecipiunt, morem secutus, istam dogmatum mutuam propinquitatem ac collocatam in hac illam, si qua est, haud prorsus inanem pro factâ revelatione dicendi rationem plane praetermisit. Atque haec amplitudinis rerum divinarum et humanarum, quae cum

propositâ quaestione continentur, neglectio valuit ad huius alteram partem corrumpendam. In hac ille ad solos eos homines, qui non essent in philosophando versati, ethicam revelationis necessitatem pertinere docuit. Non docuit vero illud necessarium esse, ut facta sit revelatio; sed hoc docuit necesse esse, ut opinentur illi, esse factam. Nam ob quam causam indigere illi dicuntur divino ortu institutionis, ob eam ipsam fieri non potest quin nihil intersit illorum, ut fuerit hic divinus. Quae ethicae mentis illorum imbecillitas necessitatem divinae institutionis attulisse dicitur, eadem abstulit facultatem discernendi verum divinum ortum ab commentitio; effecit, ut illis non prosit, si fuit divinus, nihil desit, si non fuit. Ut intersit, hoc situm est non tantum in fide eâ, quae maior est in vere divino ortu, verum etiam in facultate hunc a non divino dignoscendi, itaque rationem maioris fidei istius cognoscendi. Quae quidem intelligentia ab illis aliena est eam ipsam ob causam, qua factum fuit, ut indigere dicerentur revelatione. Empiricâ igitur ratione illius rei, ut opinentur homines factam esse revelationem, non huius, ut facta haec sit, efficitur necessitas. Qua empiricâ ratione si haec effici non potest, omnino nullâ potest. — Neque vero etiam, si Hermesium sequimur, divinae potissimum, sed tantum alienae et philosophicae quidem institutionis necessitas patere illis potest ex suae intelligentiae tenuitate. Non sufficere illis philosophorum auctoritas non potest. Nam his dixit Hermesius datum hoc esse, ut per naturalem ethicae necessitatis perspicientiam cognoverint id ipsum, quod illis ut per eandem cognoscant non sit datum. Causam, cur aut in comminiscendo aut in cognoscendo divino ortu tam frequentes fuerint vel illi alieni a philosophando vel nonnulli ex eruditis philosophando ipsis, attulit quidem Hermesius. Suspicionem illam dixit, quam dissidia intestina aliaque facinora philosophantium in hos apud plerosque concitavissent. Verum iusta si illa suspicio fuit, non par erat tantum facinorosis istis tribuendum videri. — Philosophi autem ipsi per istam, quae in populi mentibus inhaeret, ethicam revelationis necessitatem minime, quod Hermesio visum fuit, ad ratam hanc habendam com-

pelluntur; imo vero ad auferendam. Siquidem non per sapientiam desipientes solis sibi, quod omnium est, arrogant, fortuitam potius quam sempiternam futuram censent istam, quam in populo deprehendunt, ethicam necessitatem revelationis. Neque iidem, cum in opinionem potius populi quam in vestigium ac documentum vere huic factae revelationis incidisse sibi videntur, menti ipsi iniuriam intulisse censendi sunt. Non pertinebit haec a doctis adversus indoctorum mentem mota erroris suspicio ad ipsam illorum mentem. Discrepantia enim est eruditionis; atque Hermesio quidem philosophantes recte non ferri videbantur suâ eruditiore mente ad illam vulgi opinionem Potuerint igitur non ad ratam habendam, sed ad patienter ferendam, paulatim vero eximendam eandem compelli. Itaque Hermesius longe abfuit a revelatione per philosophiam stabiliendâ. Non explicuit rationem, qua necessario facta sit revelatio. Sed narravit modum, quo facile acciderit, ut opinio haec et commentum hoc nostram superaverit aetatem.

Quae reliqua sunt, ea persequi nolo. Vel enim pauca levioraque illa sunt; vel, propositâ rei summâ, illorum aut veritas aut vanitas consequitur.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

In Libraria Hinrichsii praeterea prodierunt:

Baader, Franz von, Proben religiöser Philosopheme. — Fermenta Cognitionis. VI. 8. 10 Gr.

Beck, Chr. Dan., Institutio historiae religionis christ. et formulae nostrae dogmatum. 8. 16 Gr.

Carové, F. W., über kirchl. Christenthum, römisch-katholische Kirche und Reformen in derselben, Protestantismus und Allgemeine Kirche. gr. 8. 1835. geh. 1 Thlr. 20 Gr.

— — der Messianismus, die neuen Templer und einige andere merkwürd. Erscheinungen auf dem Gebiete der Religion u. Philosophie in Frankreich; nebst e. Uebersicht des gegenwärt. Zustandes der Philosophie in Italien. gr. 8. 1834. 1 Thlr. 12 Gr

— — der Saint-Simonismus u. die neue franzōs. Philosophie. gr. 8. geh. 1 Thlr.

Cramer's, Andr. Wilh., kleine Schriften, nebst G. G. Nitzsch Memoria Crameri. Mit Einleitung, Mittheilungen aus Cramers litt. Nachlasse u. Register, herausgeg. von H. Ratjen. gr. 8. 1837. 1 Thlr. 16 Gr.

Haenel, Gust., Legis Romanae Visigothorum Partic. c. Codd. Monac. et Philipps. imag. lapide expressa. 4 maj. 1838. 12 Gr.

— — Ordo Iudiciorum (Ulpianus de edendo). E codd. et editt. emend. glossis auxit, annot. crit. instrux. 8 maj. 1838. 12 Gr.

Hahn, Dr. Aug., das Evangelium Marcions — ein verstümmeltes Lukas-Evangelium etc. gr. 8. 1 Thlr. 8 Gr.

Hutten, U. ab, opera coll. E. Münch. — Auch unter d. Titel: Epistolae obscurorum virorum etc. 8 maj. 2 Thlr. 16 Gr.

Marbach, Dr. G. O., Universitäten und Hochschulen im auf Intelligenz sich gründenden Staate. gr. 8 geh. 1834. 12 Gr.

M'Crie, Th., Geschichte d. Fortschritte u. Unterdrückung der Reformation in Italien etc. gr. 8. 1 Thlr. 21 Gr.

Müller, Alex., über den Indifferentismus in Cultusangelegenheiten, nebst Vorschlägen zu Reformen aus d. Standpunkte des Kirchen-Staatsrechts. gr. 8. geh. 10 Gr.

Reinhard, Franc. Volkm., opuscula academica. 2 Voll. 8 maj. 4 Thlr. 12 Gr.

Sammlung, vollständ., aller Konkordate nebst Geschichte ihres Entstehens und ihrer Schicksale. Von E. ***Münch***. 2 Bde. 82 Bogen. gr. 8. 1831. n. 2 Thlr. 16 Gr.

Sanchuniathonis fragmenta etc. cur. J. C. ***Orellius***. 8 maj. geh. 12 Gr.

Schaller, Jul., die Philosophie unserer Zeit zur Apologie und Erläuterung des Hegelschen Systems. gr. 8. 1837. geh. 1 Thlr. 21 Gr.

Tischendorf, L. F. C., Doctrina Pauli Apost. de Vi mortis Christi satisfactoria. 8 maj. 1837. 8 Gr.

Tittmann, J. A. H., Institutio symbolica ad sententiam ecclesiae evangel. 8 maj. 1 Thlr. 6 Gr.

— — de Rebus Academicis. 8 maj. 8 Gr.

Tzschirneri, H. T., opuscula academica. 8 maj. 1 Thlr. 8 Gr.

Villers, Ch., Darstell. d. Reformation Luthers, ihres Geistes und ihrer Wirkungen. A. d. Franz. 2. verb. Aufl. mit Anmerkungen von ***Pölitz***. gr. 8. 1 Thlr. 4 Gr.

Zachariä, Geh. Rath, über den Cölibat. (In Pölitz Jahrbücher 1829. III.) 12 Gr.

